A n.° 47

DISPVTATIONES ADVERSVS PROTESTATIONEM TRIGINTAQVATTVOR HAERETICORVM, AVGVstanæ Confeſsionis:

HABITÆ A' GASPARO CARDILLO Villalpandeo, Hiſpano, Segobienſi, Doctore Theologo, pro ſacra œcumenica Synodo Tridentina.

Simul etiam redditur ratio multorum, quæ in eadem ſacra Synodo contigerunt.

Ad Ill. & Reu. D. CAROLVM BORROMAEVM S. R. E. Presbyterum Cardinalem.



CVM PRIVILEGIO.

VENETIIS, M D LXIIII.

Ex Officina Dominici Guerrij, & Io. Baptiſtæ fratrum.

AD ILL.VM ET REV.VM D.VM

CAROLVM BORROMAEVM S. R. E. PRESBYTERVM CARDINALEM.

GASPAR CARDILLVS Villalpandeus Hispanus Segobiensis, Doctor Theologus S. D. N. *Pij IIII. et Vicarius D. Aluari Mendozæ Episcopi Abulẽsis in Concilio Tridentino.*

QVANQVA'M Concilii Tridentini auctoritas, dignitasq́;, satis per se ipsam clara, atque illustris passim habeatur, apud eos maximè, qui ueritatis studio ducuntur, neque peruersis opinionibus agi, se, præcipites sinunt, cum eidem, mo

re ſuo, calumniam hæretici intendant, ut eius ſplendorem, ſuffuſis tenebris, quouis modo poſſint, obſcurent, ipſa ratio, & Chriſtiani hominis, præſertim Theologi, officium poſtulat, ut temerè iudicantium, & contra maieſtatem Synodi obloquentium, pro uirili noſtra portione, perditis conatibus obuiam eamus: ne, quod aliquando fit, ſilentio noſtro, bonam cauſam deſeruiſſe, aut perdidiſſe potius exiſtimemur.

Superioribus diebus, quod tu probè noſti clariſſimè uir, poſt Vergerium improbum hominē, & Chriſtianæ Religionis deſertorem, Ioannes Fabritius Montanus aduerſus ſanctam Synodum Tridentinam, conuiciis, maledictis, & blaſphemiis refertiſſimam orationē in uulgus dedit. cæterum, cum intelligeret, parum eam, ad ueritatem, cui parabat inſidias, euertendam ualere per ſe, collegit hæreticorum copioſam manum,

&,

&, quod eius infamis libelli initio, faciendum innuerat, iunctis copiis Concilium Tridentinum est aggressus: ut, quod ratione, nullo modo efficere poterat, turba saltem assequeretur, atque præstaret. etenim communi, ut apparet, consilio, à triginta Euangelii, Martini Lutheri ministris, aut uerius mancipiis Sathanæ, magnis, scilicet uiris, protestatio quædam composita est, in qua, dum se excusare uolunt, quòd Tridentum non accesserint pestilens animi uirus. quo plurimum constare uidentur, in Pontificem Maximum euomunt, aut potius in terrestrem, atque mortalem Deum, in sanctissimos etiam patres, in uniuersos Principes Christianos, in ipsam denique sanctam Synodum, & uniuersalem Ecclesiam, sine ullo pudore debacchãtur, conuitiis eã exagitant, maledictis onerant, atq; eius rationes omnes suggillant. cum enim aduersarii

noſtri hæretici cæteris in rebus mirabiliter ſecum pugnēt, & opinionibus atq; ſententiis maximè uariēt, ubi eſt aduerſus Eccleſiam illis dimicādum, ſunt omnino animis coniuratis, & quodam quaſi Syncretiſmo utuntur.

Ego uerò, cùm primum proteſtationem hanc, aut ſentinam rectius maledicentiarum, atq; omnis generis mendaciorum inuulgatam eſſe noui, rei ipſius indignitate permotus, quem etenim tam atrox, atque horrendum facinus non moueat? ſtatui apud animū meum uſqueadeò inſignes calumnias diluere, & Concilii auctoritatem, aduerſus Lutheranos, quantum in me ſitum eſt, ſartam tectam tueri. quem laborem, ſi labor cenſeri debet, is, qui ueritatis, innocentiæ, & religionis cauſa, contra mendaces homines, uiolatores innocentiæ, & Chriſtianæ religionis deſertores ſuſcipitur, eò libentius adiui, quòd exiſtimarem, fore, ut meo

exem-

exemplo, plurimi alii inflammarentur, qui hanc ipsam defendendi Synodum, aduersus hæreticos, prouinciam, multò quàm nos, accuratius, & plenius obire possint. neque admodum difficile, aut arduum duco, hoc, quicquid officii est Catholicæ Ecclesiæ præstare. tùm, quòd ueritati impenditur, quæ, tametsi interdum præmi ab improbis soleat, nunquam sanè opprimi potest. neque magno negotio è tenebris, in quibus illa sepulta iacet, in lucem tandem emergit: & caput attollit. tùm etiam, quòd nugæ illæ atque mendacia, quibus tota ferè protestatio plena est, tàm sunt manifesta, ut facilè à quouis, qui uel mediocriter norit Christianæ Reipub. disciplinam refelli queant: nè dum ab eo, qui Fabritii Montani pestilentem orationem, eisdem penè calumniis constantem olim excussit, confutauitq;: atq; easdem ferè quæstiones exercuit, & stilo suo est persequutus.

quutus. ſed non eandem prorſus in præſentia, ſcribendi rationem ineundam atque ſeruandam eſſe cenſuimus: quam, cum aduerſus Montanum ageremus, ſequuti ſumus. ſingula etenim Montani uerba Apologiæ noſtræ inſeruimus, & explorauimus ſcrupulosè: quod non fuit nimium factu difficile, propter eius orationis exiguitatem. nunc uerò, quoniam proteſtatio longiſſima eſt, & horrendis conuitiis, maledictisq; tota ſcatet, rationes tantum exploramus ſingulas, quibus aduerſarii noſtri nituntur. tùm, nè liber, ſi ſingula uelimus excutere, in immenſum abeat, tum uel ea cauſa maximè, ne, qui noſtra legerint uiri boni, blaſphemiis hæreticorũ, quibus, uelut aliis, proteſtationem infarciunt, atque coinquinant, ulla ratione ledi, aut offendi poſſint. & quoniam, me illa Auguſtini ſententia magnopere delectat, cum ait, ego, quando cuique dicendo

do uel ſcribendo reſpondeo, etiam contumelioſis criminationibus laceſſitus, quantum mihi Dominus donat, frenatis atque coercitis uanæ indignationis aculeis, auditori, lectori'ue conſulens, non ago ut efficiar homini conuitiando ſuperior, ſed errorem conuincendo ſuperior, a conuitiis, & maledictis regerendis in aduerſarios, quantum in me ſitum eſt, linguam tempero: quod Chriſtianis ſemper ſcriptoribus, ſed præſertim hoc tempore, faciendum exiſtimo: ne cum hæreticis de maledicẽtia contendere, & quod in iis improbamus maximè, probare uideamur. quòd ſi ex more, & conſuetudine, ab ipſo etiam ortu, & diuina progenie, ut princeps loquitur eloquentiæ, ad hæc uſque tempora perducta, ingenii monumentis, patronus quærendus eſt, qui auctoritate ſua ualeat plurimum, haud dubiè nullum ego alium, aut debui, aut potui optare, quàm te unũ

Clariſſi-

Clariſſimè Borromæe, qui nobilitate atque ſplendore gentis tuæ, propria dignitate, magnarum rerum uſu, bonarum artium notitia, humanitate, candore animi, pietate, innocentia, religione, omni denique genere uirtutum ſic effulges, ut bonorum uirorum iudicio, cũ quibus es familiariter uerſatus, aut quibus uel fama notus es, ipſa natura ad eximia, & maxima quæq; effectus eſſe uidearis. accipe igitur princeps clariſſimè has ipſas uigilias, & lucubrationes meas, quas tibi uni debere, me, iure fateor: tum propter eã, quam dixi, rationẽ: quæ ſtudioſos omnes bonarum artium potuit impellere, ut ingeniorum monumenta ſuorum, tibi nuncuparent: tùm, quòd ad Concilii dign tatem, & maieſtatem tuendam proximè pertineant: cuius, tu quidem magna ſemper fuiſti pars, dum ſanctiſſimo Pontifici adſtas, atque ad hos ſolemnes, ſacroſq; conuentus ce

lebran-

lebrandos, & instaurandam, aliqua ex parte collapsam Christianæ Reipublicæ disciplinam, sponte currenti calcaria addis. tum demum, ut memoris animi significationem aliquam, eius insignis beneficii, quod abs te mihi collatum est, orbi terrrarum exhibeam. cum enim in Concilio Tridentino Aluari Mendozæ Reuerendiss. Abulensis Episcopi, uiri nobilissimi partes agerem, à beatissimo Pontifice nostro, auunculo tuo impetrasti, ut me, Tridenti Doctorem suum, nihil simile cogitantem, designaret, ac Petro Sotto uiro admodum religioso, doctoq; sufficeret: qui, Tridēto, uita functus, in æthereas sedes, & mentium beatarum domicilium paulò antè commigrarat. exigua hæc sunt, fateor, si rem consideres amplissime Card. magna tamen, si animum, unde illa prodeunt, contempleris. quem, si tibi addictissimum putaris, ac me beneuolentia tua subleuare

leuare uelis, efficies, profectò me, ad perſequēda hæc ipſa ſtudia longè alacriorē. Vale diu felix Borromæe Clariſſime cum beatiſſimo Domino Noſtro, ut tuis auſpiciis, quæ benè cœpta ab Eccleſia in Conc. ſunt, feliciſſimè procedant, atque exitum habeant multò feliciorem.

Tridento, Idibus Nouemb. 1563.

NOS *Ioannes Episcopus Prænestinus, Moronus, Stanislaus Tituli Sancti Pancratij, Varmiensis, Ludouicus, Tituli Sancti Cyriaci in Thermis, Simoneta, ac Bernardus Tituli Sancti Nicolai inter Imagines, Nauagerius Vulgariter nuncupati, Presbyteri S. R. E. Cardinales, sacrosancti, œcumenici, & generalis Concilij Tridentini Præsidentes, et Apostolici de latere Legati, quæ eruditè, Catholicè, & magno quodam studio ueritatis scripsit aduersus protestationem triginta quattuor Theologorũ Augustanæ Confessionis pro sacro Concilio Tridentino Gaspar Cardillus Villalpãdus, Doctor Theologus Sanctissimi Domini Nostri, & Vicarius Episcopi Abulensis in hoc sacro Concilio, concedimus libenter, ac desideramus, ut typis mandẽtur: ad quod nos, præter ea quæ uidimus ipsi, & cognouimus in publicis disputationibus, in hoc sacro Concilio, de eius Catholica doctrina, eruditione, probitate, & propensione animi erga religionem Christianam, et Apostolicam sedem, insuper etiam præter ea quæ legimus, tùm in hoc libro, tùm etiam in illo altero, quem confecit aduersus Fabritium Montanũ, illud quoq; hortatur, quod à plurimis doctissimis, Catholicis, & pijs uiris, fidele ac legitimum de præfata eius in dictis suis scriptis Catholicæ doctrinæ sinceritate, testimonium acceperimus, qui*

eius

eius ſcripta diligentiſſimè legerunt. in quorum fidem præſentes, per ipſius ſacri Conc. Secretarium ſubſcriptas, & antiquioris noſtrûm ſigilli impreſſione, & Secretarij ſubſcriptione munitas fieri mandauimus. Datis Tridenti die prima Decembris. M D LXIII.

Angelus Maſſarelus, Epiſcopus Thelesinus Sacri Conc. Secretarius.

Angelus Meliolus Secretarius.

AVCTORES, TVM VETERES, tùm etiam Næoterici, quorum in his disputationibus auctoritate utimur.

Vetusti.

Biblia Sacra, pluribus locis nos adiuuant.

EPIPHANIVS.
Augustinus.
Damasus Papa.
Leo Papa.
Pontifices Aegypti ad Liberium.
Athanasius.
Conc. Hierosolymitanum.
Conc. 8. generale.
Iulius I. Papa.
Marcellus Papa.
Conc. I. Constantinopolitanum ad Damasum.
Valentinianus Imp.
Martianus Imp.
Theodoretus, in hist.
Nicephorus, in hist.
Pulcheria Augusta, in epist. ad Leonem.
Conc. Laodicenum.
Conc. Carthag. 3. 4. 5.

Conc.

Conc. Conſtantienſe.
Conc. Baſilienſe.
Conc. Chalcedonenſe.
Conc. 7. generale.
Conc. Arelatenſe.
Conc. Aurelianenſe.
Iſidorus Hiſpalenſis,
Aymarus Archiepiſcopus Rhemenſis.
Stephanus Archiepiſcopus.
Pelagius Papa.
Symmachus Papa.
Paſchalis Papa.
Conc. Romanum I.
Iuſtinianus Imp. in nouellis.
Cardinalis Iacobatius.
Cardinalis Turrecremata.
Imperator Conſtantinus.
Conc. Nicenum.
Adrianus Papa.
Conc. Florentinum.
Euſebius Cæſarienſis, in hiſt.
Socrates in hiſt.
Theodoſius Imp. ad Elpidium.
Euagrius.
Pius II. Papa in bulla retractationum.
Cardinalis Cuſanus.
Baſilius Imp. in 8. Synodo generali.
Rufinus in hiſt.

Grego-

Gregorius Nazanzenus.
Nicolaus Papa I.
Nicolaus V.
Hieronymus.
Bernardus.
Cyprianus.
Siluester Papa.
Conc. 6. generale.
Sozomenus in hist.
Paschasinus.
Conc. Mileuitanum.
Prosper Aquitanicus.
Ammianus Marcellinus in hist.
Vincentius Lyrinensis.
Plinius in hist.
Aristoteles.
Antherus Papa.
Conc. contra Sixtum III.
Conc. Marcellini.
Gregorius Magnus Papa.
Conc. 2. Toletanum.
Horatius in epist.
Salustius in Iugurtha.
Gelasius Papa.
Achatius Papa.
Conc. Africanum.
Conc. Ephesinum.
Clemens Romanus Papa.

Conc. Turonenſe.
Clemens Alexandrinus.
D. Thomas.
Linus Papa.
Cletus Papa.
Irenæus.
Origenes.
Dionyſius.
Ignatius.
Hiſtoria Tripartita.
Casſianus.
Tertullianus.
Clemens VI. Papa.
Vrbanus II. Papa.
Conc. Claramontanum.
Gregorius VII. Papa.
Cyrillus.
Conc. Rhemenſe.
Conc. Agatenſe.
Theophilus.
Theophilactus.
Chryſoſtomus.
Damaſcenus.
Theodorus de honore imaginibus exhibendo.
Tharaſius contra Iconomachos.
Hylarius.
Innocentius I. Papa.

Galliæ

Galliæ Epiſcopi ad Leonem.
Baſilius Magnus.
Lucentius.
Conc. Matiſconenſe 2.
Euſebius Papa.
Hormiſda Papa.
Bonifacius Papa.
Gregorius Niſſenus.
Policarpus.
Sanctus Maximus.
Pamphilus Martyr.
Papias.
A egeſippus.

Recentes.

PIVS IIII. Pont. Max.
Paulus III. Pont. Max.
Iulius III. Pont. Max.
Oſsius Cardinalis.
Apologia noſtra contra Mont.
Oratio noſtra de primatu Petri.
Epiſcopus Phamaguſtanus.
Conc. Tridentinum.
Conc. Lateranenſe.
Cochlei hiſt. de Viſitis.
Epiſcopi Germani in epiſt. ad Paul. III.
Carolus V. Imp.
Ferdinandus Imp.

Adrianus Papa.
Leo X. Papa.
Clemens VII. Papa.
Rufus.
Cardinalis Caietanus.
Lindanus Dodracenus.
Franciscus Turrianus.
Cromerus de gestis Polonorum.
Roberus Pontanus in hist. eccl.
Fontanus in hist. Catholica.
Latomus in hist. de undecim millibus mē
daciorum Sleydani.
Petrus Soto.
Petrus Canisius.
Ioan. Driodonius.
Martinus Perezius Episcopus Segob.
Ioan. Maria Verratus.
Capitulum & Canonici Eccl. Colon.
Ioan. Hoffmester.
Mutius Iustinopolitanus.
Taper.
Ioan. Helss. a Louanio.
Franciscus Vargas.
Ludouicus Canonicus Lateranensis.
Ioan. Ecchius.
Ioannes a Dauentria.
Petrus Ziletius.
Hippolytus Canon. Lateranensis.

Conc.

Conc. Colonienſe.
Conc. Senonenſe.
Thomas Elyſius.
Felicianus Ninguarda.
Conradus Klingius.
Alphonſus Caſtro.

Hæretici, qui partim ex profeſſo, partim obiter à nobis confutantur in his diſputationibus.

TRigintaquattuor Proteſtantes.
Superintendentes Heydelbergæ.
Luther.
Melancthon.
Fabritius Montanus.
Vergerius.
Vuicleſus.
Vſſus.
Pragenſis.
Nicolaus Gallus.
Ochinus.
Petrus Martyr.
Stancar.
Zuinglius.
Suenchfeldius.
Brentius.
Pomeranus.

Bullingerus.
Pelicanus.
Caluinus.
Sleydanus.
Dorpius.
Oecolampadius.
Capito.
Bucerus.
Monhemus.
Confeſsio Auguſtana.
Vrbanus Rhegius.

ELENCHVS RERVM præcipuarum quæ in hoc uolumine continentur.

Ius

sed

Disputatio 2. fol. 38. pag. 1.
Quis sit præsidens Concilij.

IN ea hæc continentur.

Decretum

Disputatio 3. *fol.49.pag.2*

An Tridentum locus aptus sit tenendæ Synodo.

In *ea hæc continentur.*

Locum

An Concilium Tridentinum liberum sit.

In ea hæc continentur.

Præsti-

Dispu-

An Concilium Tridentinum generale sit.

Scho-

C *Ratio*

Disputatio. 7.

An uerè, & legitimè procedatur in Synodo Tridentina.

In ea, hæc continentur.

Disputatio 8.

An Synodus Tridentina experientia redargui possit. fol. 135. pag. 1

In *ea hæc continentur.*

Qualis

Disputatio 9.
An Spiritussanctus Concilio præsideat.
fol.139. pag. 1.

IN *ea hæc insunt.*

FINIS.

ERRATA, QVAE DEPREHENDIMUS, sic corrige.

Errata.		*Correcta.*
Fol. 10 pag 1.	omnis,	omnes,
Ibidem.	uerum,	uero,
fol. 2. pag. 1.	ueritate,	ueritati.
fol. 131. pag 2	uersu primo lege,	

&, cum muneris iniuncti sibi partes, &c.

IACOBVS GIBERTVS NOGVERAS EPISCOPVS Aliphanus ampliſſimo viro Gonſalo Pereſio, Philippi Catholici Regis à ſecretis.

CVM Concilio generali Tridenti abſoluto, ad Eccleſiam Alipharum cui me Pius Quartus Pontifex Maximus, præter vllum meum meritum præfecit, redirem; Venetias ueni, vt S. R. E. Cardinalibus, qui Concilio præfuerunt, morem gerẽs, formis mandarem duas orationes; quarum altera in Seſſione ſeptima, à me habita eſt; alteram de gratijs Deo agendis, quòd Oranum obſidione Barbarorum liberata eſſet, quarto poſt die, frequenti patrum ſenatu cum ſacra fierent, recitaui. Ac cum in ea cogitatione uerſarer, & cum typographo mihi iam res eſſet, incidi in diſputationes à Gaſpare Cardillo Villalpandeo pro Synodo Tridentina, aduerſus quorundam ex ijs, qui ſe Proteſtantes uocant, deliria conſcriptas, quas eò libentius non legi ſolum, ſed etiam perlegi; quòd quanta, quam varia, ac quam multiplex, in omni diſciplinarum genere, eius hominis eruditio eſſet.

iam pridem noram ex scriptis, quæ ille, partim in Hispania, de arte disserẽdi, & rerum naturæ scientia foras dedit; vt, velut alter Hercules, profligatis sophistarum monstris, vniuersam Philosophiã à barbarie vindicaret: & nostris, idest Hispanis hominibus veram, ac germanam eius notionẽ ob oculos poneret; partim de rebus sacris, & fidei Christianæ decretis Tridenti, contra Fabritium Montanum religionis nostræ desertorem, & transfugam peruulgauit. Quàm me eius operis lectio oblectarit; quàm uariè affecerit; quantumq́, ad euincendos eos, qui funesta in Christi Ecclesiam arma cœperunt, efficacitatis habeant, quæ Gaspar noster (nostrũ enim iure, ac meritò uocarim, quem & tibi propter summam ingenij elegantiam, & insignem doctrinam, ac morum suauitatem carissimum esse scio; & ego easdem ob causas summopere colo) breuiter, et strictim complexus est, haud facile vlla eloquendi ui explicare possim. Delectat me mirum in modum argumentum, quod sibi Villalpandeus noster ad explanandum, atq; illustrandum proposuit, quoad eorum animos, qui domum super firmam religionis Catholicæ petram extruxerunt, stabiliẽdos, cõfirmandos, atq; in officio continendos, ne se cuiuis doctrinæ uento temerè exponerent, sed præclarum fidei depositum, tanquam paternum thesaurum atque hæreditatem, purum, et integrum ab hæreticorum fraudibus conseruent,

&

& ad posteros transmittant; nescio an quicquam opportunius, et magis necessarium suscipi hoc tempore à quoquam possit. Magnam etiam, atq; incredibilem voluptatem cœpi ex eo orationis genere, quo tam præclarũ, tamq; illustre argumentum pertractatur. Ac ne quis me hominis mei amantissimi laudandi causa potius, quàm ratione adductum putet; ut tam magnifice de eo opere sentiam; primum de argumento, deinde de stilo non nihil dicam; unde quod à me dictum est, id non affectu aliquo expressum, sed à veritate, cuius magna vis semper fuit, profectum esse appareat. Quanto uenerabilius, sanctius, & augustius hoc tempore sit oportet Concilij generalis nomen, & dignitas, ac maiestas; quia eius ope, & præsidio nunquam Ecclesia magis eguit; tanto maioribus opibus, & copijs oppugnatur ab ijs, qui nostro sæculo contra Catholicam fidem bellum gerunt. Itaq; ut Concilium Tridenti, coactum ac finitum ea auctoritate spolient aduersarij, quam reliquis omnibus terrarum orbis uniuersus tribuit; negant Romani Pontificis munus esse, ut Episcoporum, qui ad aliarum Ecclesiarum gubernacula sedeant, synodum indicat. Affirmant ad eos, qui aliorum principatum teneant, & rebus publicis præsint, spectare; ut primum in Concilio locum occupent; & Episcopis normam præscribant, ad quam res sacræ explorandæ, atq; explicandæ sint. Tridentũ,

ubi

vbi patres ex omnibus terræ oris ſedis Apoſtolicæ decreto & Chriſtianiſſimorum principum uoluntate conuenerunt, ad ſolemnem conuentum habendum, idoneum locum fuiſſe inficiãtur. Fingunt nõ datam cuiuis poteſtatem, vt ad Concilium adiret, & in medium bona fide proferret, quicquid è pub. Eccleſiæ re eſſe putaret. Aſſerunt generalis Concilij nomen Concilio Tridentino attribui non poſſe, quod eò nõ confluxerint ex omnibus Chriſtiani orbis nationibus Epiſcopi; ſed ex ijs dũtaxat partibus, quæ Romani Pontificis libidini pareant. Ex ijs omnibus effici volunt, vt ea Synodus Chriſtiana habenda non ſit: quod vt aliquo ueriſimilitudinis fuco ornent, ne palam omnino mentiri videantur, conſtanter aſſeuerant, Epiſcopos Tridenti non ſeruaſſe eum in rebus, quæ in controuerſia poſitæ fuerant, enucleandis modum, quem ſuperiorum temporum Epiſcopi ſeruarunt. His & alijs id genus mendacijs, quæ verbis & oratione perſequi moleſtum eſſet; quæ à noſtris recte conſtituta ſunt ea ſe labefactaturos, et eo pios fructu priuaturos eſſe ſperant, qui ad Eccleſiam ex Concilijs promanare ſolet. Sed ne tam prodigioſi, tamq́; peſtiferi errores cancri in morem latius ſerpant, ac ſimplicem & incautam plebem à ſanis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſermonibus ad fabulas abducant, facit Gaſparus noſter, qui vnus ſic Concilij generalis dignitatem, maieſtatem, & auctoritatem tuetur, vt luce

meri-

meridiana clarius demonstret, nos synodi uniuer-
salis cogendæ, & celebrandæ, non aliam uiam &
rationem secutos fuisse, quàm eam, quam Apostoli
secuti sunt, & sanctitate ac doctrina excellentes ui
ri, qui in eorum locum subrogati sunt, nobis per
manus tradiderunt. Quin etiam alias de nostra
religione quæstiones, quas obiter aduersariorum
impietas mouit, enodat, & eam doctrinæ partem,
quæ scripta non est, sed Ecclesi scrinio commissa,
ab ijs calumnijs asserit, quibus ea hodie à sathanæ
administris appetitur. Quod tam doctè, tam gra
uiter, tam copiosè præstat, vt meo quidem iudicio,
longo post se interuallo omnes relinquat, qui ali-
quam hoc sæculo contra hæreticos insignem ope-
ram nauarunt. Nam vt illud missum faciam,
quòd vt tela, quæ aduersarij iaciunt, repellat, &
retundat, ac uulneribus medeatur; ea tãtum ad-
hibet, quæ rara sunt, nec cuiuis facilè exposita; con
tra ac faciunt non pauci è nostris, qui Crambe sæ-
pe repetita, aures legentium miserè cruciant, eius-
modi rationibus & argumentis veritatem mu-
nit, quibus nihil firmius, nihil fortius, nihil magis
inuictum cogitatione adumbrari possit. In eo au-
tem quantum roboris & firmamenti, ad victo-
riam ex ijs hominibus, qui primos mendacio-
rum ordines ducũt, reportandam locatum sit, in-
dicant duo Ecclesiæ lumina, Basilius, & Augu-
stinus; quorum alter id à scriptore Ecclesiastico
requi-

requirit; quo sanæ doctrinæ hostes vincat, vt eas tantum rationes vsurpet, quæ id planè perspicuum faciant, quod obscurum, atque inuolutum uidebatur. alter non alia lege liberum facit Catholico, vt cũ Hæretico manus conserat; quàm si causa cum causa, & ratio cum ratione confligat. Hæc duo in Gaspari nostri scriptis ita excellunt, vt, vtrum magis mirandum sit, nescias. Nihil in ijs disputationibus adfert, quod si animo ab affectibus uacuo expendatur, non manus statim dare, & fateri cogat; nos eos esse, quorum cœtus ueritatis domicilium existat. Sic cum aduersarijs congreditur; vt quot verba in eos effert, tot penè triumphos Ecclesiæ pariat. Denique si nomen auctoris adimas; librum ab aliquo eorum editum dices, qui priscis temporibus doctrinæ, et sanctitatis egregiam laudem tulerũt. Iam verò orationis genus id est, quod pondere, et splendore selectorum uerborum, copia, & grauitate, ac uenustate dictionis, facilè contendere cum eorum hominum lucubrationibus possit, qui in animi sensibus aptè, politè, & eleganter exprimendis totam ætatem contriuerunt. Questus est memoria patrum Erasmus, quod sola Theologia nondum eam barbariem abiecisset; quam aliquot ab hinc sæculis, ij in Ecclesiam inuexerũt, qui nouã scribendi uiã sunt ingressi, quæ tota in quæstionibus subtilibus, & spinosis uersatur; cũ cætera omnes scientiæ, ac disciplinæ natiuam Romani sermo

nis

nis puritatem ita recepissent; vt nostrorum tempo rum conditio, quam eius sæculi, quod homines copiose, sapienterq́; dicentes genuit, nulla re inferior esse videretur. Si ille in hunc librum incidisset, ei querelæ modum tandem posuisset; ac planè sibi cumulatè satisfactum esse affirmasset; tanta est scriptoris elegantia, cum summa rerum pulcherrimarum cognitione coniuncta. Hæc ego cum mecum expendo, gratulor causæ Dei, quòd eum patronum nacta sit, qui facultate dicendi ac rerum sacrarum scientia tam instructus ad scribendum accedat; vt grauissimas controuersias, magnis eloquentiæ opibus, & incredibili doctrina explicet. Gratulor Hispaniæ communi patriæ, quia eum nobis hominem procrearit, qui eam labem, quam ab ijs suscepimus, qui nos Barbaros vocarunt, sic deleat; vt sacrosancta fidei nostræ mysteria eo sermone enunciet, quem eorum præstantia, et maiestas requirit; & unum se esse scribendo ostendat, quem omnibus exteris facilè opponere liceat. Gratulor tibi, quod tantum virum in tuum patrociniū, ac fidem iam pridem receperis; et non vulgaribus beneficijs tibi deuinxeris. Atque ille quidem pro eo, vt par est, si non quam debet, & tuorum in se magnitudo meritorum postulat; certè, quam potest, gratiam perpetuò refert. Nam & tuas sanè præclaras virtutes, atque illustria ornamenta miratur, ac suspicit, & laudibus in cœlum extollit, vt, qui maxime; cuius

rei

rei cum alios magna auctoritate uiros, tum me testem habet locupletem in primis, teq; vnum esse prædicat, in quo suas omnes spes iam olim constitutas habeat. Nec verò mihi dubium est, quin, quæ tua, cum erga omnes, probitate et doctrina claros, tum erga eum præsertim animi propēsio est, quam in te optimarum artium et eloquentiæ excellens cognitio gignit, breui effecturus sis, vt cuius singularis facundia, et eruditio admirabilis, iam vbique terrarum fama concelebratur, eius prudentia & dexteritas in rebus Ecclesiæ gerendis, ac moribus aliorum ad pietatem formandis vulgò innotescat, quod premium consequi eos solet, qui omnibus quæ homines in bonis ponunt, abiectis, ac pro nihilo habitis, se totos sapientiæ amori, & studio dediderunt. Est enim eo, quem tua ob merita, apud eum regem obtines, qui reliquos reges omnes non minus magnitudine animi, quàm potentia superat, loco dignum, vt virtutem latere, & in obscuro iacere non patiaris, sed eam in lucem proferas, & boni numularij instar, in mensa colloces, ac quasi lucernam alto in loco constituas, vt sese late diffundat, quod boni proprium est, ac innati fulgoris radijs aliorum animos illustret, atque ad sui amorem et imitationem accendat. Sed reprimam me, ne te ad ea hortari videar, ad quæ te naturæ vis, vitæ cursus, & ratio vltro impellit. Itaque cum hic liber ijs de causis, quas in medio posui, mihi mirificè

rificè probaretur, sciremq́; fore, ut simul atque in vulgus emitteretur, statim ad tuas manus perueniret, non alienum ab officio esse duxi, si ea, quæ audisti, in eum præfarer, ac per hominis tui studiosissimi, & obseruantissimi, mihiq́; omnium, quibus bonorum similitudo studiorum me unquam obstrinxerit, amicissimi, scriptum, tanquam per quendã tibi maximè charum, atque acceptum internuncium, eam amicitiam, quæ mihi tecum aliquot ab hinc annis intercedit, augerẽ, et tuerer. Fruere ergo, clarissime Gonsale, Villalpandei laboribus, & cũ eos præ oculis habueris, quod te sæpe facturum esse scio, tum illius, tum mei etiam memoriam animo renoua, donec ego quidem, quæ de Theologia contra Ecclesiæ hostes per aliquot iam annos parturio, expoliam, & aliquid à me conscriptum sub tuo nomine in lucem edam. ille uerò, quæ tibi dicare constituit, ea cum per otium licuerit, absoluat, atque hominum auribus quamprimum donet.

Vale. Venetijs, Id. Febr. M. D. LXIIII.

DISPVTATIONES

ADVERSVS PROTE-

stationem triginta quattuor Hæreticorum, qui se Augustanæ Confessionis Theologos appellant,

HABITÆ A' GASPARO Cardillo Villalpandeo Doctore Theologo Hispano Segobiensi, pro Sacra Oecumenica Synodo Tridentina.

EXORDIAMVR *iam susceptam disputationem initio sumpto ab Hæreticorum scopo qui huic protestationi præfixus est, ut intelligat lector quorsum conatus pseudo Euangelicorum referantur. in hunc itaque modum ingrediuntur protestantes in causam.*

Primum igitur omnium solemniter profitemur, & legitimè protestamur, coram Deo, eius Ecclesia, & Romano Imperio, & toto orbe terrarum, nos infrascriptos, & Ecclesias in quibus agimus, ac docemus, constanter adhærere sinceræ doctrinæ Euangelij Iesu Christi, quam Deus PROTES.

instaurauit per Martinum Lutherum piæ memoriæ virum.

GASP. *Honesta sanè oratio, profiteri, protestariq́ue, velle constanter adhærere Euangelio Iesu Christi, cum sit Euangelium auctore Apostolo Paulo, virtus Dei in salutem omni credenti. nisi, quod his verbis aiunt, proximis statim hæretici inficiarentur, pro ingenio suo: quos ob eam rem, & merito, mea quidem sententia, Epiphanius grauis imprimis auctor, polypos, cameleontas, & protheos appellat. Dum enim Euangelij meminerunt, & profitentur hærere velle doctrinæ, quam Martinus Lutherus ante hos quadraginta annos in Germania docuit, proculdubio, Ecclesiæ Catholicæ vetustam disciplinam respuunt, tanquam impuram, & contaminatã vitijs plurimis. qua impudentia, nulla maior: sensum, atque consensum antiquorum patrum oderunt, & pro nihilo ducunt: quod est insignis temeritatis argumentum.*

ad Ro.ca.1.

Cur hæretici se uocẽt Euangelicos.

Se solos Euangelicos putant, & appellant aduersarij, edocti à magistro suo, qui Christiani appellatione prorsus abiecta, ab Euangelio, cuius auctor, atq; inuentor Martinus fuit, se, atq; suos Euangelicos nominauit: vt, vel hac ipsa voce (quod prudenter admodum, vti cætera, vir omnibus numeris absolutus Ossius Cardinalis animaduertit, palam faceret hominibus, à Christo

cõtra Brentium lib.1.

sto, eiusq́ corpore, vnà, sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia discessisse: neq; cum ea quidpiam habere commune, quæ quattuor tantum agnoscit, & prædicat Euangelia, consensu antiquitatis fideliter explanata.

Hinc planè possit intelligere lector, quæ nam spes reliqua sit, reuocandi ministros huius, tàm sancti, scilicet, Euangelij, ab errore, ad rectam viam: à mendacio, ad veritatem: ad Ecclesiam Christi, à synagogis: à conciliabulis perditis, ad Synodum Sacrosanctam. cum vsque adeo impudenter asserant, velle, se doctrinæ Lutheri constanter adhærere.

Sed ne fortasse quispiam animi dubius, quæ nam hæc doctrina sit, roget, in quam aduersarij iurauerunt, ipsi nos ministri Sathanæ, Lutheriq́ mancipia hac nos statim solicitudine liberant, his verbis.

Quæ in Confessione Augustana continetur. PROTES.

Hæc est eius doctrinæ summa, quàm aduersarij nobis obtrudunt, tantiq́ æstimant, vt eius gratia, Christi, atque eius Ecclesiæ disciplinam oderint, cane peius, & angue: de qua, quoniam multi multa accuratissime scripserunt, cum aduersus Martinum Lutherum disputarẽt: non est cur quidpiam modo dicamus, dabitur aliquando volente Deo, tempus, locusq́, commodior confessionem Augustanam excutiendi, explorandiq́, GASP.

 diq́,

diq́ꝫ. interim tamen illud vnum ad eam mirabiliter confutandam satis esse possit, quòd ne ab ipsis quidem hæreticis potuerit tolerari, sed veluti damnatam capite procul à republica sua, pleriq; expulerint. accipite de hac re, iudicio meo, egregium sanè, & cordatissimè editum Decretum, quod proximis his mensibus hæretici Heydelbergæ de ea fecerunt, inuulgaruntq́ꝫ, protinus quanti facienda sit, prorsus agnoscetis.

Doctrina Lutheri ab hæreticis etiã est explosa.

Decretum superintendentium Heydelbergæ, ubi resìdet Palatinus Elector proximè celebratum.

Decretum.

LVTHERI, *& Brentij catechismi extra Ecclesiam eijciantur, & eorum scripta nullam habeant auctoritatem.*

Dubium autem non est, quin Augustana confessio, Lutheri, atque Brentij catechesim, hoc est, instructionem de fide contineat.

Cum sit autem hæc doctrina (vt planè constat) Christi Euangelio inimica, si quidem continet Euangelium Martini, cum impugnet Ecclesiam Dei, quæ prorsus eadem est cum Ecclesia Romana, cum infensa sit Imperatori, religioso, catholico, & optimo viro, cum Romani Imperij vires eâdem debilitentur, atque infringantur, quod ab Ecclesia Romana originem,

atque robur habet: dubium eſſe non poſſit quin vos ipſos Deus Opt. Max. eius Eccleſia, et Romanus Imperator, grauiſſimis ſuis calculis ſint damnaturi, vel eò maximè nomine, quòd cum animorum veſtrorum aures ad doctrinam Catholicam & Apoſtolicam præcluſeritis; patefaciatis eas nihilominus ad peſtiferas voces Martini: addunt rurſum.

Profitemur nos omnes ſectas & corruptelas huic doctrinæ, & confeſſioni contrarias hactenus damnaſſe: & nunc quoque ſerio damnare. PROTES.

Quibus verbis (quod admonueram paulo ſuperius) haud obſcurè ſignificant, nunquam ſe à propoſito, atque ſuſcepta hæreſi dimouendos: et homines peruerſi, corruptiſſimiq́; corruptelam vocant, Eccleſiæ Chriſti doctrinam ſerie continenti ab Apoſtolis adhæc vſque noſtra tempora ductam; quod, vel referens horreſco, precorq́; Deum Opt. Max. aduerſarijs, vt iſtam mentem mutet, melioreq́; illos donet, qua cognoſcant aperte, quo in ſtatu verſentur, neque enim peiore eſſe poſſunt. GASP.

Conſcientiæ ſtimulis agitatus Martinus, cum nihil æquè quàm Eccleſiæ procerum ſacroſanctum Concilium formidaret, cuius iudicio (quod hactenus ſemper contigit) eius hæreſis orbi terrarum aperienda legitimè; conuincenda, damnanda, & releganda procul erat, neque ſe

vſquam; neque ſua ſcripta auſus eſt ſacroſanctæ Synodo ſubdere; quin imo diſertis verbis ab eadem prouocauit; quam ſibi magnopere cauendam eſſe videbat. præceptoris veſtigia proteſtantes ſequuti, ita loquuntur.

PROTES. *Profitemur & proteſtamur nos adhærere, et conſtanter adhæſiſſe proteſtationi, et appellationi Reuerendi patris domini Lutheri ab iniuſtiſſimo violentiſſimoq́; iudicio Pontificis, ſiue Concilij.*

GASP. *Violentũ appellant Concilium aduerſarij, quoniam prauis opinionibus, impijsq́; ſententijs vim magnam infert, confutat eaſdem, diſſipatq́;. ſpiritum ſanctum qui Synodum moderatur, & Pontificem Maximum in his, quæ ſunt fidei labi; aut errare non ſinit, hæretici ſuſpectum habent, in eumq́; turpiter & periculosè delinquunt: dum prouocant ab eo, qui ſummus in Eccleſia Chriſti Iudex in terris eſt: à iudicio Patriarcharum, primatuum, Archiepiſcoporũ, Epiſcoporumq́;: quorum ex officio intereſt, tum de rebus fidei iudicare, tum etiam diſciplinam Eccleſiæ conſtituere, ſtabilireq́;. perinde ac ſi dicerent, nolumus à quopiam iudicari, ſed docere liberè quicquid noſtro palato arriſerit: ſi enim iuſtos, & legitimos iudices accuſas, & à tua cauſa excludis, nullos habere vis, qui de doctrina tua iudicium ferant. ſed repellatis licet hominum iudicia,*

Cur uiolentum hæretici appellent Concilium.

cia, & ab eis quo iure, quaq; iniuria, vos eximatis, nunquam, Paulo credite, imo potius Chriſto, effugere iudicij Dei ſeueritatem poſſitis. in cuius conſpectu omnes adſtabimus, redditurí de factis proprijs rationem. quem nihil prorſus fugit, qui perſonam accipit nullam, qui decipi nequit, neque à ratione diſcedere latum vnguem: cuius extrema ſententia, ſi ante veſtros oculos verſaretur, ſi tantiſper ea vos, cura, & ſolicitudo teneret, quàm durum, atque horrendum ſit in manus Dei viuentis incidere, ego non dubito, quin facile reſipiſceretis: & ad ſaniorem mentem reuerteremini. Sed vos parum ſalutis veſtræ ſtudioſi, & cupidi cum diuina vltio procul abeſſe videatur, quæ veſtra ſcelera caſtiget, libenter admodum iram theſaurizatis in diem iræ. Cap. 2. ad Rom.

Longius adhuc aduerſariorum inſania procedit: neque enim ſatis eſſe putant damnare Concilium Tridentinum magno quodam conſenſu totius Chriſtiani orbis coactum: adimunt etiam, quantum in ſe eſt, cæteris omnibus ſacroſanctis & vetuſtis Synodis, auctoritatem: etiam, ijs quattuor quæ inſtar Euangeliorum ſuſcepit, & ſeruauit Eccleſia: & quarum eſt, ac ſemper fuit, vt Auguſtinus teſtatur: in Eccleſia Dei ſaluberrima auctoritas: norunt acuti, hac parte, hæretici, bonam errorum, impiarumq; opinio- Auguſt. ad epiſt. fundamenti.

num, quas illi mordicus tenent, partem; grauissimo olim sanctarum Synodorum calculo, esse damnatam: ergo ne hanc fenestrã patefacere videantur, ad eas explodendas hæreses, quas ab antiquis monstris hauserunt, nulli Synodo, se vsquam consensuros testantur, cum aiunt.

PROTES. *Illud quoque tertio indicamus, nihil ad nos pertinere, neque nos vsquam approbasse, aut comprobare, si quis, quoquomodo, vel in alia Concilia consensit, vel ab hoc solemni, & ordinario processu recessit.*

GASP. *Rectè autem ordinarium appellant processum damnãdi Synodos: & prouocandi ab eis. Præstiterunt hoc hæretici perpetuò, vt est à me aliqua ex parte indicatum in apologia aduersus Montanum: neq; testimonio ad eam rem probandam aliquo opus est, cum id nobis sponte sua aduersarij concedant: simulq́; fatentur hæreticos esse se, cum à Concilijs Ecclesiæ, præter hæreticos, nullum appellasse vsquam sciamus: neque enim homines isti, vllum habent magis capitalem hostem, quàm Synodum.*

Tandem suam mentem planè aperiunt hæretici, cum inquiunt.

PROTES. *Affirmamus & protestamur Tridentinum conuenticulum à morte viri Dei Lutheri conuocatum, nequaquam esse Christianam, liberam, legitimam, vniuersalem, in Spiritu sancto, & in*

Germa-

Germania congregatam Synodum.

Tridentinam Synodum verum Concilium esse, Christi legibus conforme, legitimum, œcumenicum, liberumq́, & in Spiritu Sancto congregatum, licet quadantenus monstrauerimus, tum ageremus aduersus Montanum, docebimus nihilominus vberius, atque exactius loco, atque tempore suo: nunc vero illud vnum obiter admonere lubet, vt hæreticorum impudentiam orbis terrarum agnoscat, me, non satis assequi posse; qua, isti, fronte Martinum Lutherum apostatam fidei, religionisq́, insignem hæreticum, emissi voti violatorem, perturbatorem reipublicæ Christianæ, pacis iuratum hostem, Vicarij Christi capitalem inimicum: ossorem strenuum Apostolicæ sedis, fidefragum, incontinentia, atque libidine perditum, leuem admodum perstigiatoremq́, & qui se gloriatur dæmonem præceptorem habuisse; in summa à capite ad talos, omni genere flagitiorum, scelerumq́ coopertum, quod vniuersæ huius temporis loquuntur historiæ, virum Dei audent dicere: nisi quæ istorum insania est, & mentis emotio, Deum Opt. Max. ethnicorum Dijs persimilem esse putant, qui flagitijs & prauis facinoribus oblectetur, & perditis ac deploratis hominibus gaudeat: ego quidem multos homines egregie iniquos audiui, sed qui tàm esset, quàm Martinus fuit: noui neminem.

GASP.

Mores Lutheri.

Clau-

Claudunt deniq; proteſtationem his verbis.

PROTES. *Quare ſimul teſtamur, & proteſtamur, neminem pium poſſe bona conſcientia tale conuenticulum pro vera & Chriſtiana Synodo agnoſcere.*

GASP. Proteſtationis ſumma. *Hæc ſumma proteſtationis, hic vniuerſæ diſputationis ſcopus, in quē omnes rationes ſuas, omnia argumenta: magno quodam, vt putant, apparatu aduerſarij inſtruunt, referuntq;: hæc, mihi ratione excutienda ſunt: hæc animo atq; ingenio exploranda: ſi muneri atq; officio meo, velim reſpondere; quoniam vero multis nominibus Synodus quæuis parum legitima, dignaq; fide exiſtimari, atque haberi poteſt, omnes eos locos hæretici adeunt, excutiuntq;, vnde ad faciendam huius rei fidem accommodata argumenta depromi poſſunt, quibus ego legitimè (iudicio meo) ſatisfaciam. neque hoc præſtare admodum difficile erit. omnia ſunt infirma, tenuia, leuia, dilutaq;, & apertis mendacijs plurimum nituntur.*

PRIMA DISPVTATIO. ad quem ſpectet œcumenicam Synodum indicere, con uocareque.

INSTITVIMVS *uniuersè, ac per capita fraudes, & dolos detegere Hæreticorum, qui Synodo Tridentinæ calumniam intendunt: nam ſingula perſequi, maximus labor eſſet, atq; abiret in immenſum liber. hoc nos commodè admodum præſtare poſſe ſperamus, quoniam auctores huius proteſtationis, aut potius infamis libelli, omnes rationes, & argumenta ad certa capita, et ueluti fontes referunt. ſumemus autem initium ab ea quæſtione, rectè ne an ſecus Synodus Tridentina coacta ſit. nam hinc maximè inſignes iſti calumniatores auſpicantur.*

Aſſerunt itaq; Synodum Tridentinam non debere legitimam putari, neque poſſe, quoniam cum facultas Synodum indicendi Imperatori iure inſit, hanc ipſam Tridentinam, non Imperator, ſed potius Pontifex Maximus Pius IIII. *indixit; nos vero ſic ſtatuimus.*

ad Pontificem Max. ſpectat con uocare Synodū œcumenicam.

Vis & facultas indicendi, cogendi, & celebrandi

brandi œcumenicam Synodum iure, non ad Imperatorem, sed ad Pontificem Max. spectat. hanc assertionem primum appositis ad eam rem argumentis veram efficiemus, rationes deinde quibus in contrarium aduersarij adducuntur diluemus omnino, confutabimusq́;.

Prima ratio

Prima itaque ratio ab vtriusque principis officio sumpta hoc modo concluditur: partes principis sæcularis illæ sunt; externam Reipub. quam moderatur pacem parare, & seruare partam: sic nos docet Paulus ad Timotheum scribens, dum præcipit, vt oremus pro his qui sunt in sublimitate constituti, vt quietam & tranquillam agamus vitam: principis vero Ecclesiæ peculiare munus est, à peccando homines auertere, animorum tranquillitatem procurare: constituereq́;: & studio pietatis homines inflammatos ad æternam vitam, sedesq́; mentium beatarum impellere: hoc nemo inficiari queat: sed Concilia omnia œcumenica præsertim, quale proculdubio Tridentinum est, hunc habent scopum: si quidem in his decreta conduntur, quæ ad æternam vitam adminiculo sunt, velut in Principum comitijs, solemnibusq́; conuentibus regni, leges ferri solent, quæ externam populis pacem concilient. Iure igitur optimo indici, atque vocari debent à principe Ecclesiæ, nisi confundi omnia, perturbariq́; velimus: is proculdubio Pontifex

Partes principis sæcularis.

Paul. ad Tim.

Partes principis Ecclesiæ.

tifex

tifex Romanus est: quare eius est indicere, cogere Concilia, tenereq́;.

Conuocare, iurisdictionem spectat, opinione omnium iurisperitorum: ergo & Synodum conuocare: cum hæc ipsa conuocatio vna pars conuocationis facienda sit: est enim Concilium spiritalis conuocatio, cum in eo condantur leges atque statuta viuendi, quæ ad animum referuntur: is igitur facultatem habet Synodum conuocandi, qui iurisdictione spiritali præditus est: princeps vero sæcularis nulla simili facultate instructus est; sed eius vis vniuersa externis rebus impenditur atque desudat; corpori videlicet, facultatibus, & vitæ. ergo non suppetit huic Synodum indicendi, & cogendi facultas. Pontifex vero Maximus quia princeps Ecclesiæ est, haud dubiè potestatem spiritalem accepit à Christo, atque ex consequenti iurisdictionem, cum sit iurisdictio, vis atque facultas dicendi ius. hanc accepit beatus Petrus, atque in eo cæteri omnes summi, maximiq́; Pontifices à Christo Iesu, illis verbis, Pasce oues meas, pasce agnos meos, quare ad eum maximè spectat sacros istos Ecclesiæ conuentus indicere, conuocareq́;. Secūda ratio. Concilium quid sit.

Confirmatur ratio. inferior, non potest vsurpare, quæ sunt superioris propria, peculiariaq́;, iuxta communem omnium iurisprudentium sententiam, cogere autem, atque indicere Syno- Iurisdictio. Confirmatio.

dum

Christus fecit Pontifici facultatē cogendi Synodum.

dum Pontificis Maximi peculiare est, cui Christus dixit, Pasce oues meas. vna si quidem, & præcipua pastus animi pars sacrosanctis Concilijs continetur. ergo princeps sæcularis, quicunque is sit, facultate vacat Synodum conuocandi, qua vnus Pontifex Maximus præditus est. Rex etenim, atque Imperator longe inferiores dignitate sunt Pontifice Romano, tàm longè quidem quàm ouis à pastore superatur: ab anima, corpus: externa pax, ab interna: ab æterna vita temporaria.

Tertia ratio.

Synodus, tribunal quoddam Ecclesiæ est, in quo de fide & moribus exortæ controuersiæ agitantur, & dirimuntur lites, ab eo igitur indici, & cogi debet, qui cum cæteros omnes iudicandi facultate præditus sit, à nemine ipse possit iudicari, id genus est Pontifex summus, Christi Vicarius in terris, quod à nobis paulo inferius peculiari oratione monstrandum est, (cæteri enim Christiani homines, quotquot sunt Pontifici perinde subduntur: vt oues, pastori: vt ægrotus, medico: vt parentibus, filij: vt Doctori, discipulus) quare ad eum spectat Synodum conuocare, non ad Principem sæcularem.

Confirm.

Accedit ad hoc, quòd Concilium conuocare, atque tenere ad caput collegij iure pertinet, de communi etiam iuris peritorum opinione, summus vero Pontifex sine controuersia caput Eccle

Pōtifex caput Ecclesiæ.

siæ

siæ est, vt regni rex, cuius rei non obscuram fidem fecimus in oratione de primatu Petri. Damasus ait, cuncta quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos, quasi ad caput, vt semper fuit consuetudo, referre non desinatis. Leo Papa, memor sum, me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cuius à Domino Iesu Christo glorificata est confessio. Pontifices Ægypti ad Liberium Papam, tu prophanarũ hæresum, & imperitorum, atque omnium infestantium depositor, vt princeps, & doctor, & caput omnium orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei existis. Athanasius, & Episcopi Ægyptiorum ad Marcum Papam, optamus vt à vestræ sedis auctoritate, quæ est mater, & caput omnium Ecclesiarum, ea ad correctionem fidelium orthodoxorum percipere per præsentes Legatos mereamur: mitto etiam alia testimonia eodem spectantia, quare vnius Pontificis Romani est Synodum indicere, tenereq́;.

Damasus Papa.

Leo Papa.

Pontifices Aegypti ad Liberiũ Papam.

Athanasius

Et quidem cum is error olim in quorundam animis inesset; eundem octaua Sancta Synodus generalis radicitus euellendum curauit, quod fecit his verbis: tanquàm perosum quiddam ab auribus nostris repulimus, quod à quibusdã imperitis dicitur, non posse Synodum absque principum præsentia celebrari. Subiungit. cum nusquam sacri Canones conuenire principes secu-

Can. 17. Synodus generał. 8.

la: es

lares in Concilijs sanxerint, sed solos Antistites. quòd si nulla Ecclesiæ lege, (nam diuina proculdubio de ea re nulla est) si nulla euidenti necessitate principes sæculares Concilijs interesse debent; quis est, obsecro, tam stultus, aut mentis inops, qui defendere aut affirmare, non vereatur, eis esse tributum Synodum vocare.

Concilium Hierosolymitanum. Ca. 15. Act.

Possit etiam hæc nostra sententia admodum accommodato exemplo conuinci, persuaderiq́;. Hierosolymitanum etenim Concilium, quod Apostoli tenuerunt, & cuius acta Apostolorum mentionem faciunt, verum atque legitimum habitum est, etiam hæreticorum testimonio, ad cuius normam cætera omnia exigenda esse censent. at in eo, neque Imperator adfuit, neque Rex, aut princeps vllus sæcularis; qui aliqua polleret auctoritate, sed Episcopi solum, Presbyteriq́;. sic enim habet Lucas citato loco: conuenerunt Apostoli, et seniores videre de verbo hoc: seniores autem, Græcè presbyteri appellantur: quare si autem controuersia est in Ecclesia facultas Synodum cogendi, celebrandiq́; sine principibus sæcularibus, quæ cum nulli membro tributa sit, haud dubiè in Pontifice Maximo tanquàm in capite residere arbitrandum nobis est.

Hanc ipsam conuocandi Synodum potestatem, quæ proculdubio proximè in Pontificem à Deo deriuata est, in omnibus ille œcumenicis

Concilijs & agnouit, & exercuit citra controuersiam vllam; neque enim sine eius auctoritate vllum vsquam Concilium œcumenicum aut coactum, aut indictum est; quod, quoniam ex historijs Conciliorum nullo negotio constat, non est cur in hac sententia confirmanda laborare debeamus.

Nullum Cõcilium œcumenicũ habitum est sine Pontificis auctoritate.

Neque id modo certum est, sed præterea vetustissimis Synodis declaratum, atque expressum cernimus, ius vocandi Synodum apud Pontificem residere. cum nulla interim mentio Imperatoris fiat, aut alterius cuiuspiam principis sæcularis. Iulius primus in epistola contra Orientales Episcopos sic ait, vellem vos magis ad iam dictam conuenire vocationem, vt coram vniuersali Concilio rationem redderetis cur Synodum ad statum Ecclesiarum, & fratrum in Antiochia subuertendum et Niceni magni Concilij destructionem fecistis, aut cur nobis inconsultis Episcopos in ea conuocastis, ad quam neq; Maximus Hierosolymitanus venit, neque nostra intercessit legatio. Subiungit, Canonibus quippe in Nicena Synodo iubentibus, non debere præter sententiam Romani Pontificis vllo modo Concilia celebrari, aut Episcopos damnari.

Iulius Primus contra orientales Episcopos.

Neque existimet quispiam hoc priuilegium in Romanam Ecclesiam a Concilijs esse collatum; sed renouatum dumtaxat in Synodis, Ro-

manæ Ecclesiæ ius, & facultas ad eam rem est, quo planius constare posset à Christo, & Apostolis de ea re lata lex. testatur hoc beatus Marcellus Epist. prima. Differens enim de Apostolis sic ait: inspirante Domino constituerunt (Apostoli videlicet) vt nulla Synodus fieret præter eiusdem sedis auctoritatem. loquitur autem de Romana sede.

Beatus Marcellus.

In secunda Epistola ad Maximinum, Synodum absque huius sedis auctoritate Episcoporum (quanquam quosdam Episcopos possitis congregare) non potestis regulariter facere.

Iulius.

Iulius in Epist. ad Orientales Episcopos, ipsi uero primæ sedi Ecclesiæ (hæc est Romana) conuocandarum generalium Synodorum, iura, & iudicia Episcoporum singulari priuilegio Euangelicis, & Apostolicis, atque Canonicis concessa sunt, institutis.

Idem rursum. Dudum à sanctis Apostolis successoribusq; eorum in antiquis Decretum fuerat statutis, quod hactenus sancta, & Apostolica tenet Ecclesia non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.

Idem etiam Decreto. 29. sic scribit, Odio Athanasii hanc regulam protulistis, quæ nullas habet uires, neque habere potest, (rationem reddit) quoniam neque ab orthodoxis Episcopis hoc Concilium coactum est, neque Romanæ Ecclesiæ

Legatio

Legatio interfuit (subiungit,) Canonibus præcipientibus sine eius auctoritate concilia fieri non debere, neque ullum ratum est, aut erit unquam Concilium, quod fultum non fuerit eius auctoritate.

Illud magnopere nostram sententiam confirmat, quòd ea Concilia, quibus interfuerunt Imperatores, Põtificis auctoritate vocata, coactaq́ sunt: hoc, primum persuademur Epistola Concilij Constantinopolitani ad Damasum Papam, in qua Episcopi in hunc modum loquuntur. Conc. Constantinop. ad Damasũ.

Concurreramus Constantinopolim ad vestræ reuerentiæ litteras post Concilium Aquileiense missas Theodosio.

Deinde ex litteris Valentiniani, et Martiani Impp. ad Leonem Pontificem de Concilio Calcedonensi, quod narrant Theodoretus, & Nicephorus. Sic enim scribunt, tale propositum, ac desiderium habeamus: quatenus omni impio errore sublato per celebrandam Synodum, te auctore, maxima pars circa omnis Episcopos fidei Catholicæ fiat. te auctore, aiunt Impp. Concilium verum Constantinopolitanum, per litteras à te missas Theodosio. Theod. li. 5. Niceph. ca. 16. lib. 12.

Confirmat hoc magis, quòd Valentinianus Imperator, cum de celebrando Concilio ab Episcopis requireretur, respondit, mihi quidem cum unus de populo sim, fas non est talia perscrutari: Valentinianus.

 ri:

ri: verum sacerdotes, quibus hæc cura est, apud se ipsos congregentur, vbi voluerint.

Pulcheria Augusta.

Apertè id etiam Pulcheria Augusta testata est in Epist. ad Leonem Papam his verbis, tua reuerentia, quocunque modo prospexerit significare dignetur, vt omnes etiam totius Orientis Episcopi, Thraciæ, atque Illirici, sicut etiam nostro domino pientissimo Imperatori placuit, in vnam ciuitatẽ velociter ab Oriẽtalibus partibus valeant conuenire, & illic facto Concilio, & de Catholica confessione: & de his Episcopis, qui ante hac segregati sunt sicut fides, & Christiana pietas exigit, (concludit orationem) te auctore decernatur.

Accedit ad hoc, quòd quæ pertinent, ad eos qui Concilio interesse debent, & normam in eo seruãdam, Ecclesiæ legibus sancita stabilitaq́; sunt, non Imperatorũ, aut Regum. Canone 38. Conc. Apostolorum perscribuntur personæ, atque tempus indicendi Synodum. similiter octaua Synodo generali, Can. 17. Concilium Laodicenum statuit, ne vocati ad Synodum Episcopi venire recusent. idem definitum est, 4. & 5. Concilijs Carthaginien. Conc. 3. Carthag. tempus cogendi Synodum perscribit. quod faciunt etiam Constant. & Basil. & cum primum creantur Episcopi, inter cætera, illo quoq; iuramento adstringuntur, venturos se ad Synodum quum primum

mum vocentur in Conc. Chalcedonensi edita lex est, quæ iubet Episcopos ad Concilium venire, atque hijs, qui neglexerint pœnam decernit.

Imo vero quod magis mirari debeamus in 7. Synodo generali, statutum est, vt qui princeps Episcopos ad Concilium venire prohibuerit, communione priuetur.

Adde, quòd neque integrum est per Ecclesiæ leges Synodum sine facultate Pontificis deserere, domumq́; redire, de qua re condita lex est in Concilio Arelatensi.

Confirmatur nostra sententia hoc modo, sicut se habet Metropolitanus ad Episcopos sibi subiectos, se habet Pontifex ad vniuersos Episcopos, sed metropolitano adest facultas indicendi Concil. prouinciale, Can. 2. Aurelian. cum ait, Metropolitani comprouinciales suos singulis annis ad Concil. euocent. ergo Pontifex habet ius conuocandi generale Concilium.

Ad superiores rationes, partim ab ipsa rerum natura ductas, partim à sacris litteris, partim etiam ab Ecclesiæ legibus, & institutis Conciliorum petitas, accedunt manifesta patrum testimonia, atque sententiæ, quæ nostram assertionem mirabiliter confirmant.

Imprimis Ysidorus Hispalensis vir pietate, et bonarum artium studijs, pro ea præsertim ætate, admodum clarus de Concilijs agens, ita inquit.

Synodorum congregandarum auctoritas Apostolicæ sedi commissa est, neq; vllam Synodum generalem ratam esse credimus, aut legimus, quæ eius non fuerit auctoritate congregata, vel fulcita. Subiungit. hoc, auctoritas testatur Canonica: hoc, historia Ecclesiastica comprobat: hoc, sancti patres confirmant.

Augustinus præterea id asserit (quod testantur aduersarij) cũ ait, Summus Pontifex, quando Patriarchis, & alijs Ecclesiæ prælatis denuntiaret voluntatem suã de congregando Concilio vniuersali, semper explicabat necessitatem.

Aymarus Archiepiscopus Rhemensis differens de Synodis cap. 18. lib. primo.

Non mireris, inquit, quòd ipsorum Conciliorum auctoritatem Romano Põtifici tribuamus: nam nulla concilia rata leguntur, quæ facta non fuerint Apostolica auctoritate. confirmans autem, quod dixerat, ait, vt Damasus Papa in suis Decretis, cap. 9. cui Athanasius, & Iulius, Nicenum quoque Concilium, & reliqui patres adstipulantur.

Stephanus Archiepiscopus.

In Epistola Stephani Archiepiscopi, & Conciliorum ad Damasum sic scriptum legimus.

Antiquis regulis sancitum est, vt quicquid horum, vel in longinquo positis prouincijs ageretur, non prius tractandum (quæ verba ad indictionem Concilij referuntur) vel accipiendum sit.

sit. (quod refertur ad confirmationem eorũ, quæ in Concilijs sunt definita) nisi ad notitiam almæ sedis vestræ fuisset deductum.

Pelagius Episcopis qui conuenerant ad illici tam vocationem Ioannis Constantinopolitani sic scribit. Pelagius Papa.

Multis denuo Apostolicis, & Canonicis, Ecclesiasticisq; instruimur regulis, nõ debere absq; sententia Romani Pontificis Concilia celebrari, (subdit) quapropter rectè dictum est, non Concilium, sed conuenticulum vestrum, vel Cõciliabulum quassatur, & quicquid in eo actum est, irritum habeatur, & nullum.

Symachus præterea sic disserit, distinct. 17. Can. 6. Symachus Papa.

Scitis, quòd Romanæ sedi, primum Petri Apostoli meritum, deinde sequuta iussione Domini, Conciliorum venerandorum auctoritas singularem in Ecclesiis tradidit potestatem.

Iulius Papa cap. 1. epist. ad Theogonium. Iulius papa

Miror vos tam audaces esse, & tam impudenter terminos, ac iura beati Petri inuasisse. sui enim iuris erat, vt absque eius sedis auctoritate nullus deberet, aut Concilium celebrare, aut Episcopos ad Synodum vocarẽ.

Paschalis ad Archiepiscopum Panormitanum, & habetur in decretalibus de electione, & elect. potest. cap. significasti. Paschalis Papa.

 Omnia

Omnia Concilia per Romanæ ſedis auctoritatem facta ſunt, & robur acceperunt.

Concilium Chalcedon.

Accuſatur act. prima, Conc. Chalced. Dioſcorus quòd Synodũ cogere tentarit ſine auctoritate Pontificis: quaſi in eius ſolius poteſtate ſitum hoc ſit. Et cum in eodem Concilio facta eſſet mentio ſecundæ Synodi Epheſinæ ſic legimus.

Cecropius Epiſcopus Sebaſtopolitanus dixit, illud Concilium dicere non debemus (loquitur de ſecundo Epheſino) quia neque Apoſtolica auctoritate coactum eſt, neque ritè peractum. Reuerendiſſimi Epiſcopi clamauerunt, omnes ſic dicimus.

Concilium Rom.

Et conſtat aperte Romanum Concilium primum, ab vno Silueſtro Papa coactum eſſe: ita enim eius initio legimus.

Silueſter igitur Epiſcopus vrbis Romæ congregauit fratres, compresbyteros, & coepiſcopos.

Illud noſtram ſententiam confirmat maximè quòd Iuſtinianus Imp. nouella 131. ius conuocandi generalem Synodum, inquit, ad Pontificem Romanum pertinere: ſed illud multo magis inter cætera priuilegia quæ cap. 14. lib. 1. Machabeorũ referuntur conceſſa Symoni Maximo Pontifici aperte numerari munus & officium conuocandi Synodum: quod quiuis poſſit planè intelligere: & redarguitur hæreticorum mendacium: qui teſtimonio ſumpto ex Machabeis

beis se tueri uolunt.

In eadem sententia est Cardinalis Iacobatius cap. 1. lib. 3. de Concilijs. Cardinalis Turrecremata in summa Ecclesiæ. Cardinalis Caietanus de potestate Ecclesiæ. Episcopus Phamagustanus in Synodijs Vgonijs. plurimiq́; alij, quos memorare nolo, quòd satis esse illos existimem, qui sunt a me hactenus citati.

Excutiamus iam rationes quibus hæretici nituntur, vt omnes officij nostri partes in hac ipsa quæstione explicanda, expleuisse iudicari possimus: hoc, ut præstemus commodius, accuratiusq́; meminerimus oportet: quòd in Concilijs, sed maximè œcumenicis illud imprimis ab Ecclesia curatum est; et curatur semper vt verbum Dei tranquillum cursum habeat. huc spectat, quod ex Paulo citauimus testimonium: Orate pro his, qui in sublimitate sunt constituti; vt quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate. disseritur autem eo loco de pace, et tranquillitate hominum, qui, vel ministri verbi sunt, vel eius auditores: sed quoniam hæc tranquillitas sæpe numero, neque parari, neque constitui potest, nisi primum agnoscantur, deinde expendantur quæstiones exortæ de fide, communi consensu patrum, & procul ab omni animi contentione, exigit aliquando necessitas, vt generale Concilium cogatur teneaturq́;: sed quoniam

Scopus Cōciliorum. Primæ ad Tim. ca. 2.

niam pastores, & principes in Ecclesia uiri, non facile in unum locum conuenire possunt, nisi Imperator, Regesq́; Christiani, in quorum Regnis, per diuersas prouincias, Ecclesiæ, uelut ouium greges, dispersæ sunt; opem ferant, neque postquam coacti sunt, diutius se in conuentu illo tueri queunt, nisi principes patrocinium, opemq́; ferant, effectum est, vt consensus Imperatoris, Christianorumq́; principum, cum celebrandum Concilium esset, à Pontifice Maximo requiri, atque solicitari cœperit: vt procul ab omni animi tumultu, & contentione; res cunctæ in Synodis agerentur: quod exemplo generalium Synodorum, quæ sunt hactenus habitæ in Ecclesia monstrari possit: ergo cum primum Conc. indicitur, & præsules suis sedibus euocantur, Pontifex Max. Imperatorem, Reges, Principesq́; Christianos per litteras solicitat. ita factum legimus à Siluestro Papa cum est Synodus indicta Nizeæ: atque huc spectans Imperator Constantinus, celeberrimi eius Concilij initio, uelle se, inquit, Synodum conuocare de sententia sacerdotum: idem accidit in Concilio Constantinopolitano primo, quod eius epist. indicat ad Damasum Papam: in qua sic scriptum est.

Cur Imperatoris, & Principum Christianorum auctoritas, requiri cœperit in Conciliis. Siluester. Constantinus Imp.

Concurreramus Constantinopolim, ad uestræ Reuerentiæ litteras; post Concilium Aquileiense missas Theodosio Imperatori.

Conc Constantinop. primum.

Idem

Idem in Concilio Chalced. quod ex litteris constat Valentiniani, & Martiani Imperatorum ad Leonem Papam, quarum superius mentio à nobis illata est. Conc. Chalced.

Idem docemur octaua Synodo generali cuius initio Adrianus Pontifex Max. Basilium Imperatorem hortatur, ut ad eam ritè atque ordine celebrandam opem ferat, illis verbis: volumus per uestræ pietatis industriam Constantinopoli numerosum celebrare Concilium. 8. Syn.

Ac ne singula persequar, idem scimus euenisse in hoc Sacrosancto Concilio Tridentino: Paulus enim III. *et Iulius, Maximi Pontifices, Carolum V. inuictissimum, atque optimum Imperatorem ad eam rem gerendam solicitauerunt: quod etiam proximis annis Pius* IIII. *Pontifex Max. præstuit, missis ad Ferdinandum Caroli fratrem litteris per legatos suos.* Conc. Trident.

Iam uero Imperatoris & Regum illud unum in Concilio esse munus, vt omnia legitimè gerantur, atque ad eam rem à Pontifice solicitari: ipsum præterea Imperatorem ita se gessisse: & has duntaxat putasse suas partes esse, quas in Synodo agnosceret: quoniam ab aduersarijs nostris sine vllo pudore negari video, ex historia Synodorum sigillatim monstrandum mihi est, productis in medium testibus locupletissimis: & omni exceptione maioribus. Partes Imperatoris & Regum in Conc.

In

In primis, vt hinc exordiar, in Nicena Synodo Magnus Constantinus interfuit, sed ingressus est omnium postremus: neque sedit prius, quàm qui præsentes aderant Episcopi, annuissent. vbi uero consedit tantum disseruit pauca de concordia, & pace, vt legitimè Synodus procederet. Auctores sunt Eusebius Cæsariensis, Socrates, Theodoretus: ipsa etiam Nicena Synodus.

lib.3.de histor.Cōstantini. Lib.1.ca 8. Lib.1. ca.7. Act. prima. In 2.Syn.

In secunda Synodo generali, quæ est Constantinopolitana prima, adfuit Theodosius Imperator; sed in ea nihil præstitit aliud, Eusebio referente, quàm vt ediceret, in ea religione subditi manerent, quam Damasus Papa amplecteretur. taceo datam ab eo operam esse, vt in Concilio, omnia agerentur ordine: et vt omnis tumultus quàm longissimè abesset.

In tertia.

Ad tertiam Synodum generalem, quæ Ephesi habita est, quoniam Imperator interesse non potuit, Theodosius Candidianum oratorem destinauit, atque misit, huic imperat, ne, se, Ecclesiæ tractatibus immisceret, sed duntaxat præsens adesset, curaretq; vt omnia procederent ordinatè: & seditionem, atque tumultum procul pelleret. quod testatur Euagrius. præterea Imperatoris partes in Concil. exposuit idem Theodosius in illis litteris, quas ad Elpidium Comitem, & Eulogium tribunum misit: dum illos ad

Cap 4.lib.1. Theodosius ad Elpidiū.

eam

eam Ephesinam Synodum mitteret: cuius acta in Synodo Chalced. rescissa sunt. ita enim ait:

Destinaui vos Synodo Ephesinæ valentes nostris iussionibus ministrare de his quæ in Epheso à sancta Synodo fuerint constituta: & nullum fieri tumultum permittere, sed & si quem videritis seditionibus & tumultui studentem, ad læsionem sanctæ fidei, hunc custodiæ mancipatę.

In quarta Synodo quæ habita est Chalcedone Martianus adfuit Imperator, rogatus à legatis, nomine Leonis Papæ, qui dicerent, minime se ad Concilium venturos esse, nisi adesset Imperator: timebant enim grauiter, ne qua in Synodo seditio exoriretur: auctore liberato. In quarta.

Cap. 3. breuiarii

In quinta Synodo generali, quæ fuit secunda Constantinopolitana, neque Imperatorem adfuisse legimus, neque quempiam ab eo missum oratorem, quod Iustinianus Imperator minime pateretur, si Synodum indicere, aut in ea existere, quadam iuris necessitate, ad se pertinere arbitraretur. Sextam Synodum, quæ fuit Constantinopolitana tertia, sua præsentia illustrauit Constantinus Imperator: qui, quantum ex eius actis colligere possumus, illud in ea vnum præstitit, ne quid vspiam perturbatè ageretur. quemadmodum autem vetustissimarum Synodorum exemplo vsi sumus, ita quoque reliquarum testimonio vti possemus facile, nisi, quæ diximus, satis In quinta. In sexta.

tis

tis esse putaremus, ad conuincendam sententiam nostram, atque alienam refellendam.

Imperator nunquã subscripsit Synodo, ut eius pars.

Illud tamen dissimulare nolo, neque subscripsisse usquam Synodo Imperatorem ut partem Concilij aliquam: quæ suffragium ferret de rebus fidei, neque absoluta, peractaq; Synodo eius acta confirmasse, quin potius, aut ille subscripsit nusquam, aut subscripsit quasi acta probaret, ut inferius monstrabo, & sunt omnia œcumenica Concilia summi Põtificis auctoritate corroborata. atqui, cum leges ciuiles inconuentibus regni solemnibus feruntur, eas princeps confirmare consueuit, uti earum lator legum. ex quibus omnibus planè constat facultatem conuocandi, atque tenendi Synodum, neque iure, neque antiqua consuetudine ad Imperatorem pertinere, quod aduersus Protestantes efficere cupiebamus.

Quoniam vero de tempore habendi Synodum prouincialem, lege cautum est, cuius cum cæteris Concilijs custodes, patroni, atque executores principes Christiani sunt, solebant interdum illi curare, admonendo, atque exhortando Pontificem, ut Synodum cogeret: effectum est hinc, ut imperiti rerum existimarent ius, & facultatem indicendi, & cogendi Concilium penes Imperatorem, aliosq; principes Christianos residere. cum nihil simile fecerint propria auctoritate:

id,

id, subscribendi ratio indicat: aut enim non subscribit Imperator, aut subscribit postremus: & illo nomine id facit, vt fidei explicatæ in Synodo profiteatur se consentire: suoq́; exemplo ad eius fidei legumq́; in Synodo conditarum, obseruationem cæteros omnes prouocet: simulq́; doceat, dum fidem adstringit suam, curaturum pro viribus ne quispiam Ecclesiæ fidem, aut statuta violet: in sexta Synodo generali Constantinus Imperator post centum septuaginta Episcopos subscripsit, in hanc formam. Cur subscribat Imperator. Cōstātinus Imp.

Legimus, & consensimus:

Consequitur, quod nostram sententiam confirmat.

Mox pijssimus Imperator dixit: dicat sanctum Concilium atque vniuersale: si consensu omnium Episcoporum promulgata est definitio: cumq́; sanctum Conc. exclamasset, omnes ita credimus: edictum scribi fecit Imperator, vt quod fuit à Concilio definitum, id omnes firmiter obseruarent.

His ita à nobis constitutis nullo negotio rationes hæreticorum refelli poterunt: quas nos etiam breuiter persequemur, ne, illi cuipiam: suis mendacijs imponant; aut à veritate transuersum agant: argumentantur igitur primum, in hunc modum. in Ecclesia hæc consuetudo ante hos septingentos annos perpetuò seruata est, diluitur prima rō hæreticorum.

vt

vt Imperator, & Christiani reges Synodum conuocarent , saltem vniuersalem, hoc tamen illi minime vsurpassent, nisi certum haberent diuino mandato ita esse statutum, ergo diuino iure ad Imperatorem et reges pertinet conuocare Synodum vniuersalem.

Hoc vero argumentum primum omnium, sic ego retorqueo in aduersarios his ferè septingentis annis, vestro iudicio, neque Imperator, neque Christiani reges habuerunt ius, & facultatem conuocandi Synodum, cum toto hoc tempore, quod vos fatemini, minime illam coegerint, ergo nusquam iure et facultate cogendi Synodum prædit i sunt probo consequentiam ; quoniam , aut illi sponte sua cesserunt iuri suo, quod minime constat ex historijs: neque credibile est, cum hoc magnum quoddam , atque insigne ornamentum sit regiæ maiestatis, atque Imperatoriæ; quam principes augere potius quàm imminuere studēt, aut hanc ipsam facultatem Imperatori, Pontifex ademit, quod cum verisimile non sit, restitissent, enim principes Pontifici tantam , tamq; excellentem dignitatem adimere volenti, & quo iure, quaque iniuria, eam ipsam tuerentur, nisi hoc ius a Pontifice aliquando cœpissent, sed iam illud non constaret eis diuino, sed humano iure, ergo nusquam habuerunt hanc facultatem. satius est enim hoc dicamus, præsertim cum tam

multæ rationes ſuppetant ad eam ſententiam, quàm vt Imperatores & Reges, ignauiæ aut ſocordiæ arguamus, quod faciunt hæretici, dum illos aſſerunt ius, & facultatem ammiſiſſe, aut tranſtuliſſe in alios.

Deinde etiam hæc ratio parum efficax eſt, nam quod aiunt, Imperatorem, Regesq́; Chriſtianos minimè hanc facultatem fuiſſe vſurpaturos, niſi de ea re diuinum præceptum haberent, haud dubiè falſum eſt. vt enim monſtraui ſuperius, Imperator, ſi quando Conc. indicit, facit hoc quidem Pontificis hortatu, non propria auctoritate, vt eius ope Synodus legitimè coeat, & teneatur ſine tumultu. 2

Cum vero aiunt, hanc viguiſſe conſuetudinem in Eccleſia, vſque ad annum milleſimum, primum quidem pugnantia loquuntur: nam paulo inferius aſſerunt Conſtantienſe ab Imperatore Sigiſmundo fuiſſe conuocatum. deinde inſigniter mentiuntur cum id aſſerunt, niſi accipiant eo ſenſu, quem nos perſtrinximus, atque indicauimus ſuperius: vt enim conſtat ex bulla retractationum Pij Papæ Secundi, cum Cæſar ad vnionem Eccleſiæ procurandam in Nuremberga ſuæ nationis conuentum inſtituiſſet, decreuit ſummum Pontificem adhortari, vt Conſtantiæ nouum Conc. indiceret, atque eò legatum mitteret: ita inquit Pius II. & falſum aſſumunt ad-

Mendaciũ apertũ hæreticorum.

C uerſarij

uersarij, quoniam ut nos, indicatis locis, monstrauimus, nullam ex vetustis Synodis, quæ habeat in Ecclesia locum, & auctoritatem, indixit iure suo, propriaq; facultate Imperator. & conuentus, quos memorant, ex veteri testamento, ciuiles potius, quàm Ecclesiastici censendi sunt. pertinent enim ad externam Reipublicæ pacem, & gubernationem: si qui vero Ecclesiastici sunt, illi sunt à Pontifice coacti, celebratiq;, quo tempore ijdem erant principes sæculares & Ecclesiæ: qualis Moyses, Samuel, atq; alij extiterunt. Nam, vt monstraui, ex cap. 14. lib. 1. Machabeorum, proprium Pontificis munus erat Synodum cogere. Synodi vero quæ habitæ sunt in Ecclesia postquam effulsit hominibus Euangelij lux: apertè pugnant cum hæreticorum, hac parte, sententia: quod superius copiosè admodum docui. quod autem antè millesimum annum munus Imperatores in Concilio exercuerunt, hoc quoque tempore exercent, ne quispiam credat, ab eo, vlla ratione excidisse.

Aiunt aduersarij Pontifices aliquando humiliter, & suppliciter Cæsares orasse, vt Episcopos conscriberent: si Episcopos conscribere, est curare ne illi impediantur, sed potius discedant suis domibus liberè, cum sunt iussi ad Synodum venire à Pontifice Romano, verum quidem est: ita enim semper est factum, et retinetur adhuc

ea consue-

ea consuetudo: quod his verbis bullæ indictionis docemur aperte.

Charissimos in Christo filios nostros Romanorum Imperatorem electum cæterosq́; Principes & Reges, hortamur, & rogamus, curent diligenter pro sua pietate, vt ex ipsorum Regnis, & dominijs prælati sine recusatione ac mora, tam necessario tempore, Deo & Ecclesiæ officium suum præstent.

Verba bullæ indictionis factæ à Pio IIII.

Si vero simpliciter & sine auctoritate, hortatuq́; Pontificis id ab Imperatore vsquam esse factum significare volunt, errant toto cœlo: neque necessarijs testibus rem istam addicere poterunt.

Illud proculdubio impudentissimum mendacium est, quod aiunt, in Leonis magni epistolis ius conuocandi Synodum citra vllam dubitationem Imperatoribus tribui. nullum est enim verbum in eius epistolis, vnde, vel coniectura id accipi possit: cuius illud apertum argumentum existimare licet, quòd verba Leonis in hanc sententiam ab his strenuis nugonibus, nulla citentur, neque indicentur loci, quod solent illi facere non grauatè. neque prolixitate deterrerentur. qui consueuerunt, eandem cantilenam sæpius occinere. adfrunt etiam in suam sententiam Cardinalem Cusanum, & Æneam Siluium, qui postea Pius II. vocatus est. at nulla ratio est, cur

Secunda ratio.

Leo Magnus non facit Imperatori copiam conuocandi Synodum.

Tertia ratio soluitur

nos istorum virorum auctoritate frangamur.

Cusano satis fit. *Primum quidem quoniam ex his quæ isti auctores citant, nihil prorsus efficitur aduersum*
1 *nos. Cusanus enim illud tantum asserit, reperire se, quòd omnia Conc. generalia fecerunt Imperatores, quod partim verum est, vt dixi superius, partim falsum. de iure autem & auctori-*
2 *tate cogendi Synodum, nihil illi definiunt, aut statuunt. & conuocatio illa cuius vterque meminit; non tàm Concilij indictio est, quàm præparatio quædam vt Concilium legitimè cogatur: et celebretur. est enim quædam rerum necessariarum suppeditatio, vel testimonio aduersariorum, cum aiunt, quo modo Pontifices, tot Episcopos conuocassent, quibus tunc, vt pauperibus, necesse fuit (ita loquuntur aduersarij) neque sumptus; neque vehicula, neque tuta itinera, suppeditare poterant? etenim si indicere Concilium, est Episcopis præbere vnde sumptus possint facere, conferre vehicula, & itinera prædonibus vacua, & libera reddere, non difficile fatebor ab Imperatoribus olim Concilia fuisse conuocata: & penes eosdem, qui diuites admodum essent, ius Synodum indicendi, atque cogendi fuisse.*

3 *Deinde, licet memorati auctores in ea fuerint opinione: habemus plures, & doctrina præstantiores scriptores, quorũ mentionem superius instulimus, in contraria sententia: quos duobus istis*

meritò

meritò possimus opponere.

Præterea, Nicolaus Cusanus, cum iuuenili ar-dore concitaretur, multa proculdubio temerè affirmauit, quæ senior deinde factus damnauit: inter quæ illa referuntur, quorum Protestantes in præsentia meminerunt: nam semper illi perditioribus sententijs manus admoliuntur, vt vel eò tantum nomine reijciendos eos esse existimare iure optimo debeamus. & vterque in Basiliensi conciliabulo, potiusquā Concilio, ut ipsiusmet Pij II. verbis vtar, pestiferam istam hausit, atque imbibit doctrinam, deceptus ab his, qui Eugenium, quem seruabant infensum, deprimere conabantur: atque eius causa, sacrosanctæ Apostolicæ, & Romanæ sedis auctoritatem eleuare, multa sine mente scripta reliquerunt. 4 5

In bulla retractationū

Satisfit Aeneæ Siluio.

De Siluio autem illud certò affirmare possum, cum iuuenis, atque Æneas esset, ita sensisse: sed ubi adoleuit iam, atque pius euasit; non modo hac in re, sed in multis quoque alijs, sententiam mutauit suā, Retractationumq; bullam edidit: quam ad rectorem, & scholam Coloniensem misit, & inuulgari iussit toto orbe terrarum, in qua more sanctissimi, atque doctissimi Augustini, multa, quæ olim probarat maximè confutauit: hanc bullam, ne me quispiam mentitum putet, lubet his sermonibus inserere, quā ex Coloniensi quadam bibliotheca typis mandatam adferri mi-

hi curaui. vnde plurimas commoditates proculdubio decerpemus: primum, quanti faciendum sit Concilium Basiliense planè cognoscemus: deinde eius ortus, incrementa, atq; exitus ponemus ante oculos: tum, de hac ipsa re, atque alijs non parum multis Siluium mutasse sententiam apertè constabit. inde, postremò ad difficillimas quæstiones decernendas, quas aduersus hæreticos exercemus, capiemus argumenta.

PII PAPAE II. BVLLA retractationum omnium dudum per eum in minoribus adhuc agentem pro Conc. Basil. & contra Eugenium summum Pontificem scriptorum, incipit feliciter.

PIVS *Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs rectori, et vniuersitati scholæ Colonien. salutem, & Apostolicam benedictionem. In minoribus agentes nondum sacris ordinibus initiati, cum Basileæ inter eos versaremur, qui se generale Concil. facere, & vniuersalem Ecclesiam repræsentare aiebant, Dialogorum quendam libellum, ad vos scripsimus, in quo de auctoritate Concilij generalis, ac de gestis Basiliensium, & Eugenij Papæ contradictione, ea probauimus, vel damnauimus, quæ probanda, vel damnan-*

damnanda censuimus. quantum capiebamus, tantum defendimus, aut oppugnauimus. nihil mentiti sumus: nihil ad gratiam, nihil ad odium retulimus. existimauimus benè agere, & recta incedere via, nec mentis nostræ aliud erat obiectum, quàm vera utilitas, et amor veri: sed quis non errat mortalis? Sapientem, inquiunt Philosophi, nunquam errare, verum est: at quis sapiens, nisi vir bonus? quis bonus nisi solus Deus? omnes declinauerunt. simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum, inquit propheta Regius. declinauimus et nos: ab vtero matris errauimus, in inuio, & non in via. ambulauimus in tenebris, & procul à vera luce recessimus: nec nobis tantum errauimus, alios quoque in præcipitium tr. ximus, & cæcis ducatum præbentes, cæci cum illis in foueam cecidimus. forsitan & aliquos ex vobis scripta nostra deceperunt, et in deuia deduxerunt, quorum sanguinem si de manibus nostris requisierit, Dominus non habemus quod respondere possimus, nisi nos, vt homines, peccauisse, qui arbitrantes rectum iter ostendere, obliquum monstrauimus: & in misericordia tantum Dei spes nostra sita est, quæ super omnia opera eius elucet: sed haudquaquam satis fuerit diuinam misericordiam implorare, & dicere, parce domine, parce peccatis nostris, nisi pro viribus vulnera quæ inflixi-

mus veritate, curare adnitamur: & sicut est in fabula, sagitta quæ vulnerauit, adferat opem: siue, ut canit Ecclesia, medelam inde ferat, hostis unde læserat: mortem quidam prius sibi consciuerint, quàm videri velint aliquando malè sensisse: & nonnulli, ne, vel ad horam videantur errasse, semper errant. Et dum, vel minimam tolerare honoris iacturam nolunt, totum abijciunt, & perpetua notantur infamia, & in pessimas prolabuntur hæreses. qui, ne appareant inconstantes, pertinaces efficiuntur. superbissimi hoc agunt, qui videri dij, non homines volunt: quales Constantiæ combusti sunt in magno conuentu Hieronymus & Ioannes Heresiarchæ. nos homines sumus, & ut homines errauimus. neq; imus inficias, multa quæ diximus, scripsimus, egimus, damnari posse: verum non ut Arrius, Eutiches, Macedonius, aut Nestorius, & alia blasphemorum turba, ex animo damnatã viam elegimus: seducti peccauimus, ut Paulus: & ignoranter persequuti fuimus Ecclesiam Dei, & Romanam, primamq́; sedem. propter quod prostrati antè oculos diuinæ pietatis supplices oramus, delicta iuuentutis meæ, & ignorantias ne memineris: pudet erroris, penitet malè fecisse, et malè dictorum, scriptorumq́; penitet vehementer. plus scripto quàm facto nocuimus: sed quid agamus? scriptum, & semel emissum volat irreuocabile ver-

verbum. non ſunt in poteſtate noſtra ſcripta, quæ in multas manus inciderunt, & vulgò legun tur: vtinam latuiſſent, quæ ſunt edita; nam ſi futuro in ſæculo manſerint, & aut in malignas mentes inciderint, aut incautas, fortaſſe ſcanda lum parient. qui hæc ſcripſit, inquient, In beati Petri tandem cathedra ſedit, & Chriſti ſaluatoris Vicariatum geſſit. ita ſcripſit Æneas, qui poſtea ſummum pontificatum adeptus Pius II. vocatus eſt. neque inuenitur mutaſſe propoſitum. qui eum elegerunt, & in ſummo Apoſtolatus vertice collocarunt, ab his, ſcripta eius ap probata videntur: verendum eſt, ne noſtris ſucceſſoribus talia aliquando obijciantur, et quæ fue runt Æneæ, dicantur Pij, atque ab ea ſede auctoritatem vendicent, aduerſus quam ignoranter latrauerunt: cogimur igitur dilecti filij beatum Auguſtinum imitari, qui cum aliqua in ſuis voluminibus erronea inſeruiſſet, retractationes edidit: humilis & probatiſſimi vir ingenij, qui ſuas ineptias verecundè confiteri ac corrigere, quàm impudenter defendere maluit. Idem & nos faciemus. Confitebimur ingenuè ignorantias noſtras, ne per ea, quæ ſcripſimus iuuenes, error irrepat, qui poſſit in futurum Apoſtolicam ſanctam ſedem oppugnare: nam ſi quem decuit vnquam Romani primiq́; throni eminentiam & gloriam defendere, atq; extollere, nos illi ſumus,

quos

quos ſine ullis meritis pius & miſericors Deus, ſola diſpenſatione ſua, ad beati Petri ſolium, & dilectiſſimi filij ſui Ieſu Chriſti Domini noſtri Vicariatum euocauit: quibus ex rebus dilectiones veſtras hortamur, & in Domino commonemus, ne prioribus illis ſcriptis inhæreatis, aut fidem ullam præſtetis: quæ ſupremam Apoſtolicæ ſedis auctoritatem quouis pacto elidunt, aut aliquid adſtruunt, quod Sacroſancta Romana, non amplectitur Eccleſia: ſuadete omnibus, vt id ſolum præ cæteris venerentur. in quo Saluator Dominus ſuos Vicarios collocauit. et quod beati Apoſtoli, Petrus et Paulus, ſuo ſanguine dicauerunt. nec putetis diuinam prouidentiam, quæ cuncta gubernat, & nihil negligit eorum quæ creauit, inordinatam reliquiſſe militantem Eccleſiam, quæ cum ſit ſponſa Chriſti, profectò a Deo eſt, & ordinem habet, dicente Paulo, quæ ſunt a Deo ordinata eſſe: requirit autem ordo, vt inferiora à ſuperioribus gubernentur, & ad vnum tandem perueniatur, tanquam principem, & moderatorem cunctorum quæ infra ſe ſunt: ſicut grues vnam ſequuntur, & in apibus vnus eſt rex, ita & in Eccleſia militanti, quæ inſtar triumphantis habet, vnus eſt omnium moderator, & arbiter Chriſti Ieſu Vicarius, à quo, tanquam capite, omnis in ſubiecta membra poteſtas, & auctoritas deriuatur, quæ à Chriſto domino Deo noſtro,

stro, sine medio in ipsum influit. neque profectò in alium, tanquam sui exercitus ducem supremam auctoritatem Christus principaliter deriuasset, quàm in suum Vicarium, qui primus fuit Petrus, cui commissã nouimus Dominici gregis curam, neque duos plures'ue Petros Euangelistæ commemorant; neque duos, aut plures instituit Dominus, qui suum locum, tanquam capita, tenerent, æqualia: sed vnum constituit vt verticem, ac ducẽ, & pastorem vniuersi gregis, Symonem Petrum, dicens, tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claues regni cœlorum: et quodcunq; ligaueris super terrã, erit ligatum & in cœlo: et quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlo. Et, pasce oues meas. quæ nulli alteri seorsum dicta leguntur, nisi Petro: vt in Petro vnitas, & summa contineretur auctoritas. neque alius à petra dictus est Petrus, nisi Symon: vt intelligeremus vnicum esse veræ & solidæ petræ, Christi locum, vt Paulus exponit, tenentem: Symonem Petrum: qui solus pro domino in periculo constituto, exemit gladium: Petrus igitur: & successores eius Romani Pontifices primatum in Ecclesia tenuerunt: & nos hodie, quanuis indigni, sola domini voluntate digni, tenemus, & quicunque Romanæ, secundum Canonicas sanctiones, præficitur Ecclesiæ, quàm primum electus est in

sacro collegio supremã adeo potestatem sine medio consequitur, & per ordinem in omnem diffundit Ecclesiam; cuius peccata diuino iudicio punienda relinquuntur. Si quid aduersus hanc doctrinam inueneritis, aut in dialogis aut in epistolis nostris, quæ plures à nobis sunt editæ, aut in alijs opusculis nostris, (multa enim scripsimus adhuc iuuenes) respuite, atque contemnite: sequimini quæ nunc dicimus, & seni magis quàm iuueni credite: neque priuatum hominem pluris facite, quàm Pontificem. Æneam reijcite, Pium recipite. Illud gentile nomen parentes indidere nascenti, hoc Christianum, in Apostolatu, suscepimus. dicent fortasse aliqui cum Pontificatu hanc nobis opinionem aduenisse: & cum dignitate, mutatam esse sententiam: haud ita est: longè aliter actum, audite filij conuersationem nostram: breuis narratio erit, quæ vobis, quantum ad rem attinet, veritatem aperiet, & obiectioni faciet satis. anno trigesimo supra millesimum quadringentesimum cum Dominico Capranica, quem Martinus quintus in secreto Consistorio Cardinalem creauerat, Eugenius Quartus spreuerat, Basileam petiuimus, ibiq; Concilium inchoatum inuenimus, verum ab Eugenio reuocatum, quamuis congregati noluerant obedire, asserentes iam incœptum Conc. sine consensu patrum, qui conuenissent, haudquaquam

quam

quam potuisse dissolui. Iulianus aderat, sancti Angeli Cardinalis natione Romanus moribus & doctrina conspicuus. Is, cum cæteris præstaret, audita Eugenij reuocatione præsidentiam dimisit tanquam summo Pontifici vellet obedire, sed cum augesceret indies (Eugenio vel inuito) Concilium, & multi ex diuersis regionibus Episcopi, & Regum Legati aduentarent, Cardinales quoque ex Romana curia profugi in dies nonnulli concurrerent, præsidentiam resumpsit, & auctoritatem Concilij mirum in modum extollens, eminentiam primæ sedis supprimere cœpit. venientes Eugenij Legatos, & potestatem Romanorum præsulum magnificantes, apparenter confutauit; & cum esset facundissimus, facilè persuasit auditoribus quæ cupiebat. Cardinales ex Vrbe profecti Eugenio infensi, vitam eius, moresq́; carpebant, accedebant in horas cateruatim noui curiales, qui (vt est omnis multitudo maledica atque inimica Principi) Eugenij nomen modis omnibus lacerabant: nos, qui ex patria iuuenes, non ex vrbe illuc migraueramus, & noua tunc primum auis ex Senensi Gymnasio euolaueramus, rudes et inexperti, vera esse arbitrabamur, quæcunque dicebantur, nec putabamus mentiri alios, qui nesciremus ipsi mentiri: atque, vt est innatum homini, tetra & horrenda crimina odio habebamus: neque Eugenium diligere poteramus:

mus: quem tot, tantiq; testes indignum Pontificio dicerent: aderant Legati Parisiensis scholæ, cuius est fama percelebris. adfuerunt aliquando vestri, & aliorum studiorum Germanicæ nationis Oratores; & vno cuncti ore Concilij generalis auctoritatem ad cœlum efferebant: de potestate Romani Pontificis pauci erant, qui loqui præsumerent: omnes qui publicè loquebantur prurientes auribus multitudini applaudebant: accessit & Eugenij ipsius consensus, qui dissolutionem Concilij a se factam, reuocauit: & progressum eius approbauit, cum reconciliata Synodus Eugenio videretur, & pax Ecclesiæ data: præterita enim omnia per suas litteras Concilij patres Eugenio se se remissuros, & pedes eius tanquam beati Petri exosculaturos promiserant, si reuocata dissolutione Concilio cursum permitteret: atque illi cohæreret. nouæ intercessere discordiæ, tùm alijs de rebus, tùm præcipuè super translatione Concilij Græcorum causa in alium locum. Eugenius in Italia non sine ratione Conc. petebat, popularitas Synodalis transire montes horrebat, & in Auinione, aut in Sabaudia locum desiderabat: adiuerunt per id tempus duo viri ex Italia, Basiliense Concil. Nicolaus Panormitanus Archiepiscopus, & Ludouicus Pontanus Apostolicæ sedis notarius Alphonsi Magni Regis Oratores, qui velut duo orbis sydera, [illegible]

pontifi-

pontificij iuris, & totius ciuilis sapientiæ duo præcipua numina, & clarissima censebantur. hij dictis, scriptisq; Conc. gesta probabant. Eugenij facta damnabant, neque erat, qui aut vellet, aut auderet dicta eorum refellere: quid ageremus? audire potuimus? non discere? rude nimis ingenium est, quod per singulos dies audita, & inculcata non capit. quales magistri sunt, tales discipuli euadere solent. paucos inuenias Aristoteles, qui Platonica norint destruere dogmata, non est discipulus supra magistrum, inquit Dominus: neque nos magistrum potuimus superare. Iulianus, Nicolaus, & Ludouicus, & alij complures fuere magistri, Schola, Basiliensis conuentus. in quo rarò aliquis Eugenij causam defendit. aduersus Concilij dignitatem mutire, aliquid crimen Hæresis fuit. vna omnium vox Concilium Eugenio præferebat. de sedis Apostolicæ excellentia, aut silentium, aut contemptus: Concilium, Concilium cuncta sonabant. didicimus ergo quæ audiuimus. post aliquot annos existimantes nos aliquid esse, diximus, quod est apud Satyricum, Semper ego auditor tantum, nunquam ne reponam? Puduit semper discipulum agere. subtraximus ferulæ manum. Cœpimus loqui, & nigri personam induimus. scripsimus Epistolas, & opuscula. hoc omnibus passim datur. docti & indocti scribunt. & quæ scri-

scripsit ipse, nemo contemnit, nisi editionis feruorem tempus extinxerit. nobis placebant scripta nostra, more Poetarum, qui poemata sua tanquam filios amant. nec Basileæ quenquã inueniebamus, qui ea damnaret. probant .n. similia similes. Applaudebamus nobis ipsis, & in editionibus nostris gloriabamur. & quanquam postea Eugenius Concilium in Italiam transtulerit, & cum Græcis Ferrariæ, ac demum Florentiæ conuenerit, quanquam Julianus sancti Angeli, & Ioannes sancti Petri Cardinales, quibus plurimum credebamus ad Eugenium defecissent, quanquam paucissimi in fide Basiliensi remansissent, noluimus tamen credere, existimantes cunctos qui abibant, metu recedere, ne bona temporalia perderent. & cũ nihil haberemus, quod nobis auferri posset, perseuerandum putauimus, ne partem, quæ verior nobis apparebat, relinquentes, detrimentum animæ faceremus. mansimus ergo Basileæ quoad Eugenio, vt credebamus, iusto iudicio deposito, Amadeus Sabaudiensis suffectus est, & Felix V. appellatus. quem, non vt idolum, quod erat, sed tanquam Christi verum Vicarium venerati fuimus: nihil ad hæc sinistri putantes intercessisse. at cum Federicus Romanorum Rex Aquisgrani coronatus domum repetens Basilea iter fecisset, rogatusq; Felicem illic præsentem accedere, nullo pa-

cto

cto persuaderi potuisset, vt honorem ei tanquam Romano Pontifici exhiberet, aut publicè cum illo verba misceret. tum primum considerauimus possibile esse, vt partem erroneam sequeremur, quando rex, Imperator Romanorum futurus, in tanto negotio dubius esset, & ad Eugenium inclinaret magis. multum & sæpe inter nos ipsos cogitauimus, quis esset modus inueniendi uerum: nunquam enim volentes errauimus: rogati in familiam Federici transire, non renuimus: erat tunc ille cum tota Germania neutralis. Concilium, Basiliense dicebant esse Germani, & idolum eius respuebant: Eugenium Christi Vicarium appellabant, & Concilium ab eo celebratum recusabant. neque Eugenio, neque Conc. Basil. plenè obediebant: placuit ad neutrales transire, vt verum apud eos liberius audiremus; & si recedendum esset, ab vno extremo, per aliquod medium transiremus ad alterum: & eorum iudicium spectaremus qui non essent affecti causæ: mansimus in aula Federici pluribus annis: illic varias audiuimus opiniones: neutralitatem idcirco theutones induxerant, vt concordia facilius inueniretur: non ex consilio Solonis qui tumultuante ciuitate extorrem fecit eum, qui sine parte remansit. multa inter neutrales didicimus, quæ nos antea latebant. Eugenium falsò de multis accusatum inuenimus. Cardinales qui

Basileam venerant ob priuatas inimicitias bono, & sancto viro notam inurere voluisse: qui tamen postea ad eundem redierint: & veniam peccati petierint: forte per id tempus Cardinalis sancti Angeli, cuius supra meminimus, ex Ungaria, quæ sibi decreta cõtra Turcas fuerat, prouincia, Flauianum venit, quæ hodie Vienna dicitur, præcipuum Austriæ columen: sæpe cum eo sermonem pro veteri consuetudine miscuimus; sæpe, de rebus Basiliensibus disputauimus. tuebamur antiquam sententiam: ille nouam defendit, extollebamus generalis Conc. auctoritatem, ille Apostolicæ sedis auctoritatem magnopere collaudabat: dicebamus Conc. Basil. iure perseuerasse, quamuis Eugenius præsidentes reuocasset, & hoc eius factum accusabamus: ille dissolutum, seu translatum ritè Conc. affirmabat, & Basiliensium opera multis modis detestabatur, Basileaq; non Synodum Ecclesiæ, sed Sathanæ, & ministrorum eius synagogam remansisse dicebat: diutina fuit inter nos concertatio, verum modesta, & charitate plena. ad extremum, cum suis scriptis, dictisq; Cardinalem vinceremus; premeremusq; vehementer, subridens ille: tu inquit, Ænea tabellis obsignatis agis mecum & quoniam aliquando sensimus, vt dicis, idcirco & hodie idem putas debere sentire: & addictos priori sententiæ censes: verum propterea

nos

nos sumus liberi, quia mutare sententiam usque ad mortem possumus: cur enim non liceat omni tempore, relicto falso, verum amplecti; fateor me dixisse, & scripsisse, quæ refers, verum à vero remotum errasse: at, tu qui, vt ais, me doctore, Basiliensibus credere adductus es, errantem olim sectatus es, cur modo non sequeris recta monentem: præsumpsi de me ipso, dum essem Basileæ nimis, quanuis deceptus, decepi: & credens prodesse, nocui: in medio Ecclesiæ docens, quæ non didici, cœcus erraui: & in tenebris ambulaui. reliqui tandem Ecclesiam malignantium & cum impijs sedere recusaui: reuelauit dominus oculos meos; & consideraui mirabilia de lege sua. cognoui priores errores, & quantum à vero procul abiissent Basilienses planè intellexi: adij Romanam Curiam, & Eugenio, cui fuissem rebellis, submissi ceruicem, à quo misericordiam consequutus, ad vnionem Græcorum nauaui operam, & illis Romanæ Ecclesiæ reconciliatis aduersus impios Turcas legationem accepi. castigans castigauit me dominus, & morti non tradidit me, sed humiliatum exaltauit, quia cognito in errore non perseueraui, sed mox in uiam redij, & ex magistro, factus Discipulus: ex magno, paruus: expurgato vetere fermento nouum hominem indui, & veræ matris lacte nutritus, ad fontem veri perueni, quem, sancti Doctores

ostendunt, Græci & Latini, quorum vna vox est, saluari non posse, qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ nō tenet vnitatem, omnesq́; illas virtutes mancas esse ei, qui summo Pontifici obedire recusat, quamuis in sacco, & cinere iacens dies & noctes ieiunet, & oret, & in cæteris videatur legem implere: quia melior est obedientia, quàm victimæ: et omnis anima potestatibus sublimioribus subiecta est: & Romanum præsulem in Ecclesiæ vertice constitutum esse constat, à quo nullam ex ouibus Christi exemptam nouimus. ego ad ouile redij, qui diu errraueram extra caulas, & pastoris Eugenij vocem audiui. tu, si sapis, idem facies. hæserunt pectori nostro verba vitæ, quæ sæpe ad nos repetijt, non sine charitate ardenti, & amore singulari. interea ex diuersis regionibus homines doctissimi Cæsarem adierunt, quibus cum placidos de eisdem rebus miscuimus sermones. semper ad verum intenti, cuius est natura hominis auida. multum profuit nobis Ioannes Caruaialis Apostolici Palatij Auditor, natione Hispanus, qui Iuliano defuncto, in titulo Cardinalatus, ac legatione successit. quo cum sæpe de Conc. Basilien. amicè disputauimus, nemo doctus ad Imperatorem venit, quem de his rebus in colloquiū non adduceremus: cumq́; Cæsar, ad vnionem Ecclesiæ procurandam in Nuremberga suæ nationis conuentum instituisset, decreuissetq́; summum

mum Pontificem adhortari, ut Constantiæ nouum Concilium indiceret, legatumq; mitteret ac Basilienses pariter induceret, ut eo se transferrent: ut pax Ecclesiæ redderetur: primi Basilienses recusauere; quod audiens Thomas Asselbachius, ex Germanis insignis Theologus, nunc, inquit, scio, Spiritum sanctum Basilienses non habere ductorem, quando tam æquam Imperatoris legem effugiunt. idem multi alij dixere viri doctissimi, & opinione sanctitatis illustres: quibus consideratis, caligo tandem ab oculis nostris cæcidit, quæ velut Araneæ tela uerum cernere impediebat. recognouimus errorem nostrum: uenimus Romam, Basiliensium dogma reiecimus. Eugenio Pontifici Maximo caput submisimus: & reconciliati Ecclesiæ Romanæ, doctrinā eius imbuimus: & illud Hieronymi diximus, ego nullum primum nisi Christum sequens, tuæ beatitudini, idest cathedræ Petri, communione consocior. super illum, fundatam esse Ecclesiam scio: quicunque extra hanc domum agnum Dominicum comederit, profanus est. si quis in Archa Noe non fuerit, peribit, regnante diluuio. eramusq; adhuc penè Laici, quando ad Eugenij obedientiam rediuimus. ex Basilea, clericali tantum charactere insigniti recessimus, neque unquam sacros imbuimus ordines; nisi post veritatem cognitam Basiliensi

cæcitate relicta: in Austria, minores Ordines ac Subdiaconatum, et Diaconatum recepimus: in Vrbe, ad Presbyteratum peruenimus: hæc est conuersatio nostra: per hos gradus è tenebris ad lucem migrauimus: ad quam rem non parum luminis nobis attulit Thomas Saracenus Theologiæ sapientiæ celebratus, & acutissimus interpres, qui postea in summo collocatus Apostolatu Nicolai quinti nomen accepit. his auctoribus unam Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam didicimus, matrem omnium fidelium: extra quam non inuenitur salus: spōsam Christi immaculatam: in qua omnes, qui militant, finem sibi proponunt uitam æternam: idcirco enim in Ecclesia militanti laborant homines, & cum dæmonibus, tanquam hostibus pugnant, vt pacem tandem assequantur: & cum Iesu magistro & legifero suo in cœlesti Hierusalem triumphare, ac regnare possint. hic finis Christiano proponitur. huc omnis Ecclesiæ militantis conatus, omnes leges, omnes regulæ tendunt: & quoniam Ecclesia exercitus est Deo militans, terribilis, vt castrorum acies ordinata, dicitur: vni proculdubio Imperatori subiecta, ad cuius nutum cuncta referuntur: cumq; Pius, ac Maximus, & Optimus Deus in suo sanguine fundauerit Ecclesiam, eamq; voluerit ad finem sæculi perdurare, quis non dixerit in ea id regimen institutum

tutum esse, quod optimum censeretur: at verò inter genera gubernationũ, communis Philosophorum sententia est, præstare Monarchiam: & Romani, quorum toto micuit orbe dignitas, quamuis eiectis regibus duos annuos consules elegerunt, & modo tribunos addidere, modo alios magistratus inuenere; in aduersis tamen casibus bellisq; grauioribus, ad vnum aliquem recurrerunt, virtute, & auctoritate præstantem, quem dictatorem appellauerunt: cuius dicto, non liceret aduersari: & quanquam dictaturam ab initio temporaneam instituerunt, in Iulio tamen, & successoribus eius perpetua effecta est: neque unquam Romana res admirabilior, aut celsior fuit, quàm sub Augusto Cæsare, quando iam clausis Iani portis totus penè orbis sub vnius hominis gubernatione quieuit: quo tempore natus mundi saluator monarchicum regimen cæteris prætulisse videtur gubernationibus: idem probat totius ferè orbis consuetudo, cuius maximam partem gubernant reges: siue Christianos intueamur, siue barbaros: & quamuis ciuitates aliquot reperiantur, quæ, cum maximè seruiant, liberas se se vocitant, sine rege viuentes, non possunt tamen effugere, quin vnum præferant alijs, eiq; tanquam capiti, pro tempore obediant: quid plura? cœlestis aula nos admonet: quid illa pulchrius? quid ornatius? quid maius? aut durabi-

lius? quid melius? aut beatius? quanuis in ea & Angelorum diuersi sint ordines: & sanctorum spirituũ innumerabiles chori, vnus est tamen omnium rex æternus Deus, qui condidit vniuersa: & nihil negligit, eorum, quæ condidit: cuius filius vnigenitus Christus Iesus, cum pro nostra salute veniret in mundum hunc seruili accepta forma, Ecclesiam, de qua loquimur in cruce patiens suo sanguine acquisiuit, & in ea vsque in diem Ascensionis corporaliter præsedit, & tanquam dux verus & Imperator cuncta in suum finem direxit: ac cum ascendisset in cœlum eum indubitanter gregis sui pastorem reliquit, cui dixerat, pasce oues meas: & tibi dabo claues regni cœlorum: neque enim dixit, & non fecit: qui solus est verax. Grex Christi, Ecclesia est. pastor primus ipse Christus fuit, vt pastor bonus; qui posuit animam suam pro ouibus suis: secundus pastor Petrus extitit, ab ipso Christo institutus, atque omni potestate donatus, quæ ad benè regendum commissas oues necessaria ducitur: alioqui Christus, qui sapientia patris est, & sapienter egit omnino, Ecclesiæ suæ, haud sufficiẽter prouidisset, quod est nefarium asserere. Et quãuis plures per orbẽ Ecclesiæ institutæ fuerint, et plures Episcopi. i. plures greges, ouilia plura, pastoresq́; plures, omnes tamen sub vno pastore in vno grege, atq; ouili continebantur: sicut hodie continentur,

tur, quia vnus est Christi thalamus, vna sponsa, vnum ouile, vnus pastor, & omnium Episcoporum, vnus Episcopus Romanus præsul, beati Petri successor, & Iesu Christi Vicarius. Petrus enim in Antiochia primum sedit. deinde Romam venit: vnde, cum persequutionem fugiens, vellet abire, à domino prohibitus est: & hic, glorioso martyrio vitam finiuit, successore Clemente instituto: atque ita in hunc vsque diem, vt qui Romæ sederit antistes ritè institutus per legitimum electionis tramitem, tanquam Aaron vocatus à domino, hunc omnes Christianæ plebes, omnes populi, omnes reges, omnes clerici, omnes Episcopi, tanquam Iesu Christi Vicarium, & beati Petri successorem, vniuersalis Ecclesiæ caput, ac rectorem, & ducem sint venerati: inter quos plurimi pro Christi nomine acerrimos perpessi cruciatus, & morte mulctati, coronam martyrij susceperunt: plurimi confessores egregij, vita, moribus, & doctrina fulgentes, quamuis sine sanguinis effusione, non tamen sine periculis & labore, ac voluntate parata, pro conseruanda sacri Euangelij auctoritate moriendi, ad cœlestem gloriam peruenere: vt Gregorij, Damasi, Leones, Innocentij, Bonifacij, Benedicti, & alia nomina: inter quæ tertius claruit Eugenius ex monasterio sancti Anastasij ad summum sacerdotium euocatus, ad quem beatus Bernardus,

mo-

monachorum pater, non minus doctrinæ fulgore, quàm vita sanctissima illustris, inter multa, huiusmodi verba conscripsit: indagemus inquit, adhuc diligentius, quid sis, quam geras, videlicet personam pro tempore in Ecclesia Dei. tu es sacerdos magnus, tu summus pontifex, tu princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum: tu primatu, Abel: gubernatu, Noe: Patriarchatu, Abraam: ordine, Melchisedech: dignitate, Aaron: auctoritate, Moyses: iudicatu, Samuel: potestate, Petrus: vnctione, Christus: tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt: sunt et alij, cœli ianitores, & gregum pastores, sed tu, tanto gloriosius, quanto & differentius vtrunq; præ illis nomen hæreditasti: habent illi assignatos sibi greges, singuli singulos: tibi vniuersi crediti vni sumus. nec modo ouium, sed & pastorum, tu vnus omnium pastor. hæc Bernardus ad Eugenium III. *scribit: cui supremam, & omnimodam in Ecclesia potestatem concedit: quod ille de tertio testatur Eugenio, hoc nos de* IIII. *et omnibus alijs Romanis pontificibus profitemur, quia dignitatis est auctoritas. liquet ergo vnum in Ecclesia caput esse, & vnum principem, quia pax populi ex rectore depēdet, et pluralitas principum discordiam parit. Christus Ecclesiæ suæ in vltimo Testamento pacem reliquit: & pacem multis verbis commendauit. dedit ergo & regimen*

men pacis, vnicum, & monarchicum. ſub beato Petro, & ſucceſſoribus eius adminiſtrari cuncta præcipiens, clauibus illi commiſſis, & cura gregis demandata. hæc, nos de Romani Pontificis auctoritate, & poteſtate ſentimus, cui et congregare concilia generalia, & diſſoluere datum eſt, qui & ſi filius eſt propter regenerationem, propter dignitatem tamen pater habetur: & ſicut propter regenerationis cauſam venerari debet Eccleſiam, tanquam matrem, ita & prælationis cauſa præeſt ei, vt paſtor, gregi: princeps, populo: rector, familiæ: cum his, et generalis Concilij auctoritatem, & poteſtatem complectimur: quemadmodum & æuo noſtro Conſtantiæ, dum ibi fuit Synodus vniuerſalis declaratum, definitumq́; eſt. veneramur enim Conſtantienſe Concilium, & cuncta quæ proceſſerunt à Romanis Pontificibus noſtris prædeceſſoribus approbata: inter quæ, nullum inuenimus vnquam fuiſſe ratum, quod ſtante Romano indubitato præſule abſque ipſius auctoritate conuenerit: quia non eſt corpus Eccleſiæ ſine capite, & omnis ex capite defluit in membra poteſtas: hæc noſtra ſententia eſt filij: hæc credimus, et profitemur: hæc iam ſenes, & in Apoſtolatus apice conſtituti pro veritate aſſerimus: ſi quæ vel vobis, vel alijs conſcripſimus aliquando, quæ huic doctrinæ repugnent, illa tanquam erronea, & iuuenilis animi parum

penſa-

pensata iudicia, reuocamus, atque omnino respuimus. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum. 6. Cal. Maias. 1463.

Pij Papæ II. Bulla retractationum omnium, dudum per eum in minoribus adhuc agẽtem pro Concilio Basil. & cõtra Eugenium IIII. summum Pontificem, scriptorum finit feliciter.

4 Ratio dissoluitur.

Addunt deinde aduersarij, consentaneum esse rationi, ne sit ius conuocandi Synodum penes Pontificem Romanum, quoniam accidere possit, vt quatenus doctor est in hæresim labatur, vel in exorta Ecclesiæ controuersia aliquod magnum suum interesse habeat: sic loquuntur elegantissimi Protestantes: renuet, inquiunt, vbi id acciderit Synodum conuocareq́.

1 *Verum hæc ratio, perinde, atque superiores, friuola, & ridicula est. quasi vero principes sæculares, si illis hanc facultatem faciamus, non magis his nominibus, alijsq́; non paucis, quam Pontifices Maximi differre Synodi conuocationẽ possint, qui vel hæretici sæpenumero fuerunt: quales olim fuisse legimus, Iulianum, Valentem, Anastasium, Constantinum Copronymum, Michaelem Balbum, Constantium, atque Nicephorum: vt interim Reges, atque alios Principes taceam*

ceam, quos numerare longum esset: Pontificem vero Maximum, nullum hactenus fuisse hæreticum legimus, quod doctissimus atq; optimus Cardinalis Ossius demonstrat differens contra Brentium. quòd si vt priuata persona, atq; vt doctor est, quod Protestantes insinuant hoc loco, cum aiunt, Pontifex, vt doctor, facilè auctor alicuius hæresis possit existere, certè, vt Pontifex, vt Christi Vicarius, vt gubernator Ecclesiæ, vt doctor fidei, & pastor vniuersalis, quoniam præsentem habet Spiritum sanctum, in errorem incidere nõ potest, præsertim fidem explicans, quam Christiani sequantur.

Lib. 2. Prolegom.

Nullus Pontifex fuit Hæreticus.

2 *Rursum cum principes sæculares aliquando, non tuendæ modo, sed etiam amplificandæ dignitatis suæ, admodum sint studiosi, auidiq;, vnde interdum fit, vt aliena inuadant: haud dubium esse possit, quin, si conuocandi Synodum facultas penes Christianum Imperatorem existeret, vbi ille immunitatem Ecclesiarum. v. g. perturbasset: Ecclesiæ Gazam diripuisset, facultates, & possessiones Episcoporum, & reliquorum Christi ministrorum vsurpasset, multò peius his difficultatibus, atq; malis obuiam ire possemus, & Christianæ Reipublicæ commodis consulere, si Concilij auctoritate, quod principes cogerent, repetere debeat Ecclesia, quæ Imperator, cæteriq; Reges per vim, aut fraudem inuasissent, atq; occupassent.*

ſent. quare, vel hac ipſa ratione minimè conſentaneum fuit, vt Imperator, aut princeps alius ſæcularis vi et facultate Synodum indicendi, atque cogendi inſtructus eſſet: quod hæretici contendunt: vt cæteras omnes difficultates procul ab eſſe confiteamur.

5. Ratio ſoluitur. *Illa verò ratio aduerſariorum, multò eſt dilutior: quæ ita concluditur. Principes, et ciuitates habent ius in maximis rebus: ergo etiam ad conuocandam Synodum. quam confirmant eò nomine, quòd res Eccleſiaſticæ, maximè communes ſint; cum pertineant ad æternam ſingulorum hominum ſalutem.*

1 Cōfundunt munia. *Peccat enim ratio tàm multis, quàm qui illam confecerunt. aduerſarij veritatis, & fidei, tùm, quia confundunt, atque permiſcent, more ſuo, duas illas gubernandi facultates, ciuilem & Eccleſiaſticam: quæ naturà ſua uſque adeo inter ſe diuerſæ ſunt, tàm longè lateq; diſcrepant, quàm cœlum à terra: æterna vita à temporaria, ſeruus à domino: paſtor ab oue: tùm etiam, quia cum ciuilis facultas Eccleſiaſtica poteſtate*
2 Eccleſiaſtica facultas potior eſt ciuili. *multò inferior ſit, vt planè conſtat. qui colligit regi, aut Reipublicæ tributam eſſè hanc facultatem, quoniam alteram habet, ineptiſſimè colligit: cum ex minori, maius colligat. ex præſtanti præſtantius: ex bono, quod optimum, atque maximum exiſtit: contra præcepta facultatis*

tatis disserendi. neque enim cui minus inest. huic etiam inest maius: quantæcunque enim religionis laicus existat, inquit Basilius Imperator in Synodo 8. generali, etiam si uniuersa virtute interius polleat, donec laicus est, ouis uocari non desinet.

Basilius Imp.

3 *Tertio, dum aduersarij nostri facultatem tractandi spiritalia, ecclesiasticaque negotia principibus faciunt; proculdubio aduersantur, & repugnant, uoluntati atque sententiæ magnorum, præstantissimorumque principum, qui facultatem istam, quòd alienam esse scirent, procul à se abijciendam esse existimauerunt, quasi ea cum ciuili cohærere satis non possit: quam in alijs sunt reueriti. audite Basilium Imperatorem, in oratione quam habuit ad eos, qui in 8. Synodo general. præsentes aderant.*

Patriarcharum, inquit, est Pontificum, & sacerdotum regiminis ecclesiastici officium exercere. illi hoc officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui soluendi, & ligandi potestatem habent, qui ecclesiasticas, & cœlestes claues adepti sunt: non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, uel solui.

Res Ecclesiæ quis curare debeat.

Eandem sententiam multo antè Basilium protulit Constantinus Magnus Imperator his uerbis, quæ Rufinus memorat.

Cap. 2. lib. 1. suæ hist.

Deus uos constituit sacerdotes, loquitur ad

Episco-

Episcopos, & potestatem nobis dedit, de nobis quoque iudicandi: & ideo nos à uobis rectè iudicamur: uos autem non potestis ab hominibus iudicari.

Alios multos Imperatores in hanc sententiã citare possem, nisi istos duos satis esse putarem. In oratione 6. *accipite modo Gregorij Nazianzeni de re eadem testimonium: cuius sententia plurimi fieri debet: quòd ab eo profecta sit, qui uulgò Theologus appellari meruit.*

Vos, inquit, oues, nolite pascere pastores, neque super terminos eorum eleuemini: satis enim est, si uos rectè pascamini. nolite iudicare iudices, neque legem feratis legislatoribus: (conclu dit optimè atque ad rem maximè.) Deus enim nequaquam Deus est seditionis, & confusionis, sed ordinis, & pacis.

Habetur, dist 92. cap. in scripturis. *Præterea Nicolaus Pontifex in hũc modum Principes alloquitur, Non debet, inquit, princeps sæcularis facta Pontificum, aut quorumcunque presbyterorum iudicare, exemplo Constantini Imperatoris.*

6 Ratio soluitur. *In mille se mutant formas hæretici: norunt rationibus parum profecisse, uertunt se aliò, atq; habitum uariant. fatemur, inquiunt, ius conuocandi Synodum, olim fuisse in potestate Romani Pontificis: excidit tamen ab eadem iam, quoniam bis centum annis nullum omnino Pontifex*

tifex generale Concilium habuit, cum sit statutum in Conc. Constant. ut singulis decem annis œcumenicum teneatur Concilium.

Sed hæc ratio nullius prorsus ponderis, aut momenti est multis de causis: una est: quoniam Synodus Constant. solum habet auctoritatem in his quæ st.tuit de fide: ea enim duntaxat Pontifex probauit, quod sessione 45. eius Synodi manifestum est, ubi Martini V. Pontificis Maximi approbatio continetur: atqui hoc ipsum, de quo agimus, ad gubernationem potius, & bonos mores spectat, quàm ad dogmata fidei, quod inficiari nemo possit cum ratione: atque ideo nullam habet auctoritatem illud decretum de tempore cogendi Synodum quod unà cum plerisq; alijs abrogatum est. 1

Synodus Constant. qua parte habeat auctoritatem.

Altera est, quia licet sublatum illud decretum non esset, sed integrum potius maneret, ipsamet Synodus copiam facit Pontifici, qua ille minimè indigebat, Synodum conuocandi, atque tenendi: quod aduersarij velint nolint, concedere debent: negare enim nullo modo possunt. 2

Tertia, tametsi Concilium decernat, ut singulis decennijs Pontifex Synodum cogat, non potest ea facultate excidere, etiam si decretum nõ seruetur, si quidem non decernitur ea pœna in pontificem, ut eam facultatem ammittat, neq; 3

De electione, & electi potestate.

decerni potuit, quoniam, vt habetur, in cap. significasti, omnia Conc. per Romana Ecclesiæ auctoritatem facta sunt, & robur acceperunt, & in eorum statutis semper Romani Pontificis patenter excipitur auctoritas. præsertim, cum Pontifex hanc facultatem non habeat à Concilio, sed à Deo.

4 *Generalia præterea Concilia omnium consensu cogenda non sunt, nisi cum graues admodum, difficiles, atque arduæ causæ incidunt. vnde factum est, magna quadam ratione, vt tam paucæ in Ecclesia Dei Synodi generales hactenus celebratæ sint, & inter vnam atq; alteram tàm multum temporis intercesserit. nam ab initio Ecclesiæ nascentis, vsque ad primum Concilium Nicenum, interiecti sunt. 330. anni.*

ab hoc, ad Constantinopolitanum primum.	54. *an.*
à Constantinopolitano primo, ad Ephesinum.	41. *an.*
ab hoc, ad Calcedonense.	30. *an.*
à Chalcedon. ad Constantinopolitanum secundum.	102. *an.*
à Constantinopolitano secundo ad tertium.	129. *an.*
ab isto, ad secundum Nicenum.	109. *an.*
à Niceno secundo, ad Constantinopolitanum quartum.	120. *an.*

ab

ab hoc, ad Lateranense.1. 266. *an.*
à Lateranensi primo, ad secundum. 35. *an.*
ab hoc, ad Lugdunense. 31. *an.*
vsque ad Viennense. 59. *an.*
ab hoc, ad Constantiense. 90. *an.*
ab hoc, ad Florentinum. 15. *an.*

& quidem si singulis decennijs Concilia genera- 5
lia celebrentur, vbi necessitas non cogat grauissima incommoda ferent Ecclesiæ. necessarium autem non est, vt singulis decem annis persimiles causæ incidant, quæ Synodum fieri postulent, & accidere potest, vt cum illæ causæ suppetunt, neque vocare, neque tenere Synodum integrum sit, propter impendentia bella, aut grassantem pestem, aut annonæ, & aliarum rerum necessariarum penuriam. Et Conc. Lateranense excu- 6
sationem probauit Iulij Pontificis Maximi, quod constat prima Sessione eiusdem Concilij. Et cum 7
antè Concil. Constant. integrum fuerit Pontifici Synodum conuocare, vbi eidem videretur, nulla causa est, cur istam facultatem Pontifici adimamus.

Quòd si hæ omnes causæ adessent, potius qui- 8
dem culpandum Conc. esset, quàm Pontifex Maximus, quoniam cessante Pontifice ius conuocandi Synodum ad Concilium deuoluitur eiusdem Concilij Constant. auctoritate, quò se aduersarij tuentur. sic enim legimus.

Concilia de decennio in decennium perpetuò celebrentur in locis quæ summus Pontifex decreuerit, per mensem ante finem Concilij, approbante, et consentiente Conc. subiungit, vel in eius defectu ipsum Conc. deputare, & assignare teneatur.

Nullum autem est, vel Pontificis, vel Synodi decretum: quò, cessante Pontifice, ius conuocandi Synodum ad Imperatorem deuoluatur. quamobrem insigniter mentiuntur Protestantes, cum ita disserunt.

Similiter errant, cum aiunt, proximis his centum annis nullum fuisse generale Concilium in Ecclesia celebratum. multa si quidem his temporibus gesta sunt, Ferrariense, Florentinum, Lateranense, Tridentinum sub Paulo III. sub Iulio, sub Pio IIII. vt interim Basiliense prætermittam, quod in numerum legitimorum referri non potest, tùm, quoniam sine auctoritate Pontificis gestum est: dissoluerat enim illud, atque transtulerat aliò Eugenius Quartus, quod ex bulla superius citata Pij II. & historia Coclei de Vssitis planè constat, & sunt eius acta rescissa à Nicolao Quinto Pont. Max. hoc Tridentinum, si hæretici ferunt, simulatè cœptum esse, & processisse, suo more loquuntur, qui nihil probant, nisi quod peruersum est, quod sine ratione cœptum, præposterè actum, & absolutum sine ordine vllo.

Iudiciũ de Conc. Basilien.

Postre-

Postremò, fortissimum, vt his hominibus videtur, Arietem admouent, vt ius Pontifici datum à Christo, ad Synodum conuocandam cum res ipsa postulare videatur, euertant. quo, & Vergerius in scriptis aduersus Concilium, & Fabritius Montanus in sua illa impudentissima oratione, vsi sunt: is est. 7. ratio soluitur.

Tametsi largiamur, inquiunt, Romanistis, sic Catholicos vocant, adfuisse Pōtifici hactenus vim & facultatem cogendi Synodum, profectò huic Pontifici ius adimendū est: quoniam est ille, quidem altera litis pars; cum ab hæreticis multorum & grauissimorum criminum reus agatur.

At verò, si rem altius expendamus, facilè comperiemus, nullum ab his hominibus argumentum contra hanc sententiam fuisse excogitatum quod minus sit cum ratione, et veritate coniunctum: tùm, quia illud est commune omnium hæreticorum, quo iure, quaq; iniuria, Pontifici Maximo, cæterisq; qui Ecclesiam gubernant crimina intendere, & flagitia pessima obijcere, quod August. eleganter demōstrat in Epis. 138. eius vitam insectari, criminari mores, auctoritatem dignitatemq; pro viribus imminuere, vt eodem, veluti capite debilitato, facilior, atque expeditior aditus patere possit, ad membra Ecclesiæ tentandum, concutiendumq;. hac via ingressi sunt Manichæi, Arriani, [illegible] hoc Hæretici semper accusant Pontificem.

 Diosco-

Dioscorus, fecit Phocion, sed maximè Lutherani ætate nostra, vt existimare debeamus potius consuetudine quadam, aut animi morbo, quàm vlla honesta iustaq; ratione, ita euenire: neque mirum id videri debet, cum nullum heretici habeant aduersarium grauiorem, atque hostem hæreseos, quàm Pontificem Max.

Tum etiam quia obscurum non est; quorum criminum Pontifices reos agere soleant, & agāt modo, prodiderunt scriptis mentem suam orbi terrarum, sed quàm illa omnia vana sint, quæ Pontifici veluti grauissima crimina obyciunt, quàm leuia, & prorsus veritatis inania, omnes proculdubio nouerunt, qui propius rem ipsam sunt contemplati.

Si quis autem vsquam fuit, eorum Pontificum qui Ecclesiam Dei his trecentis annis gubernauerunt; quibus ab hæreticis aguntur rei, qui minimè abusus sit facultate, is est profectò maximè, Pius Quartus. irrepserunt in Ecclesiam sensim, non dubium est, abusus aliquot, qui Rempub. Christi: innocentiam et puritatem vitæ Christianæ aliqua ex parte læserunt, & turpi quadam infamiæ macula eius egregiam formā infecerunt, perturbaueruntq;: quod partim hominum culpa accidit, qui libidini suæ, atque vsui omnia parere, voluerunt: partim temporis vitio, quod vniuersa in peius mutare solet:

id

id hæretici clamant: id Catholici prædicant, Hieronymus, Bernardus, atque alij: mente tamen, atque ſpiritu prorſus diuerſo: hæretici enim ſæpenumero corruptos mores, & collapſam Eccleſiæ diſciplinam commemorant, dæmonis ſpiritu agitati, vt abſcindant, vt ſeparent: denique vt odio iſtarum rerum ſchiſmata faciant: ſancti vero homines, dum hæc exaggerant ſpiritu Dei aguntur, vt peſſimis moribus abiectis coniungant cum capite membra: ſed hos abuſus, hæc vitia, hanc denique Chriſtiani regni deprauationem tantum abeſt, vt Pius Quartus aut auxerit, aut fouerit quoquo modo, vt neque tollerare vllo pacto potuerit: cum primum enim ſummum Pontificatum eſt adeptus, tum priuatè, tum publicè, adhibere tantis malis remedium conatus eſt. edidit multas bullas, quibus Romanæ curiæ antiquum nitorem aliqua ex parte reſtituit: publicis verò querellis, & hæreſibus, quæ totum penè orbem Chriſtianum occupabãt, ire etiam obuiam ſtuduit, generali Concilio indicto, quod inſtar præſentanei antydoti, ſummiq; remedij ſemper habitum eſt: neque hactenus labori, ſumptibus, aut ſaluti pepercit, vt ſacroſancti Eccleſiæ conuentus, Tridenti celebrarentur: quod ipſi etiam hæretici agnoſcunt: & fatentur non inuiti: ſic.n. diſſerit Fabritius Montanus in hanc ſentẽtiam in illa ſua peſtifera, & turbulenta oratione.

Laus Pii IIII.

Quis cœtus istos indixit? Romanus vtique Pontifex, qui nihil studij, nihil diligentiæ in hoc toto negotio prætermisit: nullis denique sumptibus, nullis laboribus pepercit.

Cum igitur bonorum virorum iudicio sanctissimus Pius Quartus purè, atque innocenter vitam instituat, atque agat suam, cum strenuam impendat operam profligandis hæresibus, vitijs stirpandis, abusibus denique tollendis, tùm publicis, tùm priuatis remedijs, & curationibus adhibitis, iniquè profectò facere aduersarij videntur, cum iure & facultate vocandi Synodum, hoc tempore, Pontificem spoliare volunt: præsertim cum idem ipse sua sponte huic Sacrosanctæ Synodo liberam copiam fecerit, corrigendi Ecclesiam suam: curiam suam, seq; ipsum, si ita res postulare videretur: tanta animi propensione, prõptitudineq; quãtam vix quispiam requirere, aut optare potuit. huius rei testis occulatus sum ego, testes patres oẽs quotquot Tridenti adsunt, t[...] stis Romana Curia, testis Ecclesia vniuersa, test[...] deniq; eius hostes, et inimici iurati, quorũ ego n[...] linguam, quã venalem habent, et mendacijs pl[...] rimum assuetam, sed mentem potius appello: v[...] iam meritò aduersus eosdem Põtifex de iudicio c[...] illis contendens possit dicere; quid debui facere vineæ meæ, & non feci? quorsum amplius abusus iactatis, ò aduersarij, atque his dicitis impediri,

diri, & retrahi vos, quo minus Ecclesiam sanctam, quam turpiter, & magno vestro malo deseruistis, repetatis? ecce diruta maceries est, & chaos illud, quod vos hactenus remorabatur, sublatum, facilis via est, aditus patet, reuertimini ad me, excipiam vos brachijs apertis, amplectar, deosculabor, ac si sit opus, meis humeris, tanquam ouem errantem, gestabo. collocabo vos intra ouile, ne luporum morsibus dilaceremini, & turpiter pereatis. sed vos nihilominus, neque iusti, neque honesti habita ratione, Christi Vicarium multis & magnis conuicijs exagitatis, eundemq́; tractatis indignis, ac miseris modis. detrahitis principi populi Dei, & honore, quantum in vobis est, vacuum redditis. sed quoniam Spiritui Sancto contradicitis, atque Deo repugnatis, qui prohibuit in octaua Synodo generali, ne quispiam Pontifici detrahat, sed honorem cumulatè reddat, his verbis. Canon. 21

Definimus neminem prorsus, quempiam eorum, qui Patriarchalibus sedibus præsunt inhonorare, sed omni reuerentia et honore dignos iudicare, præcipuè Sanctissimum Papam senioris Romæ, sed neque alium quenquam conscriptiones contra Sanctissimum Papam aut verba complicare, & componere liceat, occasione quasi diffamatorum quorundam criminum, quod nuper Phocius fecit, & multò ante Dioscorus: quisquis

quiſquis autem tale facinus auſus fuerit tentare, æqualem, & eandem quam illi condemnationem recipiat, ego non dubito, quin miſerè pœnas, quas Spiritus Sanctus vobis decernit, & comminatur, ſitis luituri, niſi breui reſipiſcatis.

Quòd ſi, vt oſtendi, ius indicendi, & conuocandi Synodum penes Pontificem reſidet: tàm diuina, quàm humana lege, & ratione ſuffragante: ſi nihil admiſit, cur ab eo excidere potuerit, ſed potius propter eximias virtutes, & ſtrenuam accuratamq́ diligentiam in reſtituendam veterem Chriſtianæ Reipub. diſciplinam, & purgandam fidem, collatam, Sanctiſſimus Pius IIII. hac ipſa facultate maximè dignus eſt, ſi non aliter Imperator, & Reges Chriſtiani, ſi copiam haberent, Concilium cogerent, quando omnes, quotquot ſunt, indictionem à Pontifice factam, & ſeruatum in ea modum magnopere probant, miſſis Tridētum oratoribus ſuis, haud dubium eſſe poſſit, quin aduerſarij noſtri, cum aiunt, Synodum Tridentinam legitimam non eſſe, quia non eſt indicta atque coacta legitimè, & mentiantur apertè, & eò animo id faciant vt Imperatorem, & principes reliquos, aduerſus Pontificem Maximum exaſperent, ſuisq́; hominibus imponant, ac ſi poſſint, crimen à ſe, quòd cauſam Religionis deſeruerint; quoquo modo, depellant: quod, iudicio meo, nunquam conſequen-

ſequen-

sequentur: neque enim tàm illi stupidi sunt, ut quorsum conatus perditissimorum hominum spectent, non facile intelligant.

DISPVTATIO SECVNDA.

DE CONCILII GENERALIS, atque œcumenici præside nte.

OSTENDIMVS *Synodum Tridentinam admodum esse legitimam, tametsi à Romano Pontifice indicta & coacta sit. Imo verò non debere, neque posse ab altero conuocari: iam nunc secundam rationem excutiamus, qua ad confirmandam sententiam suam ineptissimè etiam aduersarij utuntur.*

Aiunt itaque Protestantes, Pontificem Maximum non debere Concilij generalis præsidentem esse: & quoniam in hoc præsidet per Legatos suos, Concilium istud non esse legitimum.

Nos, ut hanc quæstionem commodius & accuratius expediamus, nonnulla initio disputationis sumemus quæ cæteris explicandis, atque A Christo est facultas Synodum conuocandi.

que

que intelligendis seruire possunt : vnum est, quòd auctoritas cogendi, & celebrandi Synodum, quæ in Ecclesia existit, à Christo Iesu orta est, cum inquit, vbicunque duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo in medio eorum sum. his enim verbis rationem, & modum insinuat de exorta controuersia iudicandi, is est, si Synodus cogatur. & facultatem cogendi Synodum Ecclesiæ facit, atque vbi illa coacta, legitimè sit, fore pollicetur, vt ipse medium sese nobis inserat.

Christus substentat Ecclesiam.

Deinde, quoniam Christus Iesus caput & fundamentum Ecclesiæ est, etiam hæreticorum testimonio, Ecclesiam vnicè dilectam, vt sponsam, proculdubio substentat, atque in eam mirificè influit. Cæterum hæc ipsa munia sic præstat, exercetq; vt à nemine cernatur, nam spiritualiter illam regit & moderatur, suaq; virtute, tanquam robustissimis humeris fulcit, ne persecutionum sæuissimis agitata procellis vsquam labefactetur, & corruat, ne ue atrocissimis hæreticorum tumultibus concussa dilabi possit.

In Ecclesia est unum caput uisibile.

At, quia Ecclesia hæc, in qua sumus, sub aspectum hominum cadit: cerni etenim potest. necessarium quidem est, vt in ea aliquis præsideat, qui sit princeps iudiciorum Ecclesiasticorum, et ad quem in rebus dubiis atque ambiguis recurramus: & qui vt Cyprianus inquit. præ-

sentia

ſentia ſua Eccleſiam vnam efficiat, atque eius actiones moderetur: reliquit igitur in eadem, omnium bonorum virorum doctorumq́, iudicio, Vicarium quendam ſuum Pontificem Maximum: quem cæteris omnibus præfecit, atque illis verbis deſignauit, tu es Petrus, & ſuper hanc petram, ſuper te inquam, ædificabo Eccleſiam meam: huic, partes commiſit ſuas in Regno cælorum, hoc eſt Eccleſia, quas fuerat eidem pollicitus cum ait, tibi dabo claues regni cælorum: huic, paſcendi, & gubernandi apertiſſimis illis verbis ſummam atque maximam facultatem dedit, Paſce oues meas: Paſce agnos meos. ſed quoniam de hac re in oratione de primatu Petri ſatis multa diximus, ad propoſitũ reuertamur.

Cum igitur in Eccleſia facultas adſit conuocandi, atque tenendi Concilium, in quo fidei dogmata aduerſus hæreticos conſtituantur, & de moribus leges ferantur: tametſi id per ſe præſtare poſſit vnus Chriſti Vicarius, poſtquam id ſemel coactum eſt, vt rectè procedat, multa adſint oportet: verum inter cætera illud eſt neceſſarium, vt vnus aliquis præſideat: præſidet autem tum Chriſtus Ieſus primum caput, & fundamentum Reipublicæ Chriſtianæ, tum etiam Pontifex Maximus. Chriſtus etenim cum non ſit præſens in Eccleſia corpore ſuo poſtquã æthereas ſedes repetiuit, virtute ſua adeſt Eccleſiæ: at verò Pontifex

tifex corporaliter præsidet Ecclesiæ, & cum ipse à primo Ecclesiæ præsidente Christo proximè gubernetur, Ecclesiam corpore præsens gubernat: atque Episcoporum princeps est: neque vnus alteri impedimento esse potest: quin imo quæ suggerit Christus ea Pontifex Ecclesiam docet: ac veluti iudicia suppeditat.

Præter duos præsidentes vnum primum spiritalem, & qui cerni non possit, alterum, secundum corporatum, & qui cerni atque spectari valet. sunt etiam duo qui Synodo assistunt, Sanctus videlicet spiritus, qui Pontifici Maximo primum assistit, eumq́; mouet, ad ea definienda quæ fidem attingunt. Ecclesiæ deinde, atque cœtui Episcoporum qui Synodum celebrant, ac de rebus Ecclesiæ disserunt: ille enim auctor concordiæ est inter patres qui Concilio intersunt. ille internas cogitationes atque animi sensa dirigit: ille in definiendo perniciosè errare nō sinit eos qui legitimè coierunt, proceduntq́; legitimè. vnde factum est, vt in definiendo, Synodus eam formam, suo quodam iure, vsurparit, visum est Spiritui Sancto, & nobis, quæ ab ipsis Apostolis & Christi redemptoris nostri discipulis orta est.

Duo præsident Conc. duo assistunt.

Assistit etiam Concilijs Imperator, ratione tamen prorsus diuersa, nempe vt externum habitum Synodi componat: patres moderetur: pacem constituat: vt ordine atque ratione cuncta

in Concilio gerãtur: iubebat enim Imperator, in antiquis Synodis, legi preces: quæ acta essent, recitari: auctentica monumenta proferri: ad obiecta responderi: si qui cuperent audiri, intromitti: vocifirationes prohibebant: si qua vis allata: si quid per tumultum actum esset, cognoscebant: in Concilio Chalcedon. dixerunt iudices, dicat sancta Synodus, si Canonicis epistolis sanctæ memoriæ Cyrilli, consonat interlocutio Eustachij: rursum in 8. actione, dixerunt. Actione 1.

Omnis iam dubitatio de Theodoreto Reuerendo Episcopo soluta est. in sexta Synodo Imperator & sacrum Concilium dixerunt, proueniat lectio: fiat lectio: alter liber relegatur.

Hæc erant olim officia Imperatoris in Concilio: & hoc sanè, assistere Concilio est: non præsidere: nam is dicitur præsidere, qui caput Synodi est, & primus habet facultatem dicendi sententiam, & rem definiendi, quæ in controuersia posita est: denique qui in decernendo principem locũ tenet: quod exemplo comitiorum sæcularium patere possit. in quibus vel Rex ipse præsidet, vel qui ab eo designatus ad eam rem est: vbi qui præsidet proculdubio primas partes in dicendo tenet: hæc cum ita sint, sic statuo aduersus Protestantes. Assertio.

In Concilijs œcumenicis vnus Pontifex Maximus iure præsidet, aut qui eius locum in Con-

ciliјs tenent: hæc sententia Catholica est: cui nunquam hæretici ratione vlla possint contradicere: vt autem firmior sit aliquot est à me argumentis corroboranda.

1 *Primum omnium conuincitur hæc sententia ex actis Conciliorum generalium atque Ecclesiæ vsu: hoc etenim pacto subscribunt Legati Pontificis Romani, qui præfuerunt in 8. Synodo generali.*

Ego Donatus Dei gratia Episcopus Hostiensis locum obtinens domini mei Adriani vniuersalis Papæ huic sanctæ & vniuersali Synodo præsidens etc.

2 *Deinde: eius est Concilio præsidere, cuius est Concilium conuocare, & cogere, & celebrare: nemo negat. vnus tamen Pontifex vim & facultatem habet indicendi, cogendi, & celebrandi Synodum, quod longa oratione monstratum est à me, superiore disputatione, ergo Pontifex Maximus præsidere Concilio debet.*

3 *Rursum, Ecclesiæ generalibus, œcumenicisq́; Conciliјs, quæ vniuersalem Ecclesiam repræsentant, is natura ac per se debet præsidere, qui caput Ecclesiæ est, talis est summus Pontifex, iudicio antiquitatis, & consensu doctorum hominum, Pontifex igitur sacrosanctis œcumenicis Synodis præsidet. Maior propositio huius ratiocinationis conuincitur argumento à comitiis*

sæculari-

ſæcularibus ſumpto, in quibus, ſi Imperij ſint, aut Regni totius, Imperator, aut Rex ſine controuerſia præſidet, quorum alter Imperij, alter Regni caput eſt.

Præterea ſi neceſſarium eſt, vt Imperator Synodo præſideat, legitimum Concilium non erit, in quo non adſit Imperator: nemo id poſſit inficiari. ſed in Conc. Hieroſolymitano, quod eſt ab Apoſtolis celebratum, & eſt norma cæterorum Conciliorum, atque ab ipſiſmet hæreticis citatur probaturq́; , neque Imperator adfuit, neq; princeps vllus ſæcularis. imo verò, quod hanc ſententiam magnopere confirmat, in quinta Synodo generali, non modo non præſedit Imperator, ſed neque per ſuos interfuit oratores, quod ex actis eius Concilij conſtat. ergo nõ eſt munus Imperatoris Concilio præſidereq́. 4 Actorũ. 15.

Confirmatur etiam hæc ſententia. eſt enim vſque adeò verum, Imperatorem non eſſe Concilij præſidentem, vt in octaua Synodo generali, cui interfuit Baſilius Imperator, damnatus ſit, quicunque Concilia generalia dixerit, ſine præſentia Principis ſæcularis celebrari minimè poſſe: credibile autem non eſt Baſilium Imperatorem ſpontè ſua iuri ſuo hac parte ceſſiſſe, aut vlla ratione paſſurum eſſe, vt inuito ſibi ac repugnanti hæc eximia prærogatiua adimeretur, quod ſine iniuria fieri non potuit. ſed quoniam conſtitutiſ- 5 Confirmatio.

ſimum habuit has partes non eſſe Principis ſæcularis, quicunque is ſit, & cœperat vulgò eò tempore circunferri, proprium id eſſe officium Imperatoris, non modo patienter tulit, vt decretum de hac re à patribus in Concilio œcumenico conſcriberetur, ſed exiſtimare licet, hortatum fuiſſe ſanctiſſimos patres, vt Eccleſiæ honori, & dignitati hac parte conſulerent.

6 *Addo etiam quòd Silueſter Papa, cum Magnus Conſtantinus adeſſet, Romæ trecentorum quattuor Epiſcoporum Concilium coegit, at paſſus non eſt, vt in eo quiſpiam laicus adeſſet, quod ex geſtis eius Concilij conſtare poſſit.*

Can. 1.

7 *Præterea in Concilio generali ſæpenumero cauſæ aguntur Epiſcoporum: dubium non eſt. ſed neque Imperator, neque vllus alius princeps ſæcularis damnare poteſt Epiſcopum, aut vllum ſacerdotem, ſacerdotes enim ſubditi non ſunt ſæcularibus Principibus, etiam ipſorum hæreticorum iudicio, ergo neque poteſt Imperator Concilio œcumenico præſidere.*

8 *Iudicium rurſum de fide non ſpectat ad indices ſæculares: vt enim huius rei cætera teſtimonia miſſa faciam, vnde ſine dubio colligitur ipſoſmet Imperatores minimè in ſeipſis hanc facultatem agnouiſſe: fatetur hoc Conſtantinus Magnus in prima Synodo Nicena, fatetur Theodoſius Imperator in Epiſt. 4. ad Cyrillum.*

Iudiciũ de fide nõ ſpectat ad Principes ſæculares.

Teſtan-

Testantur id etiam ipsi aduersarij nostri, qui de ea ipsa re, hoc eodem anno decretum hac forma condiderunt Heydelbergæ.

Officialibus, seu magistratibus de catechismo nihil est manifestandum, tantum illis scribendum, ne super intendentes impediant. Decretum hæreticorũ.

Atqui in generalibus Concilijs res fidei, & religionis, quæ catechismis comprehenduntur, tractari solent. indicant Synodorum omnium acta, indicant bullæ indictionis, ipsi etiam hæretici huius sententiæ auctores sunt. ergo non debet Imperator Concilijs œcumenicis præsidere.

Confirmatur hæc sententia, quoniam vt ex a- 9
ctis omnium generalium Synodorum apertè colligitur, nusquam in eisdem Imperator, tametsi præsens adfuerit, adfuit autem penè in singulis omnibus, quæ gestæ sunt, per se, vel oratores suos, sibi arrogare ausus est de rebus fidei iudicium: hoc conuincitur ex forma subscribendi: nã cum Episcopi, qui veri sunt iudices in causa fidei, hac forma subscribant, Definiui, & subscripsi: Constantinus Imperator in sexta Synodo generali, hac norma vsus est, legimus, & consensimus: in octaua verò Synodo, hoc modo Impp. subscripserunt.

Basilius, Constantinus, & Leo perpetui Augusti in Christo Deo, fideles Principes Romanorum, & magni Imperatores sanctam hanc, et

vniuersalem Synodum suscipientes, & omnibus quæ ab ipsa definita, & scripta sunt concordantes subscribimus manu propria.

10 Deinde, si Imperator Concilio generali ex officio deberet præsidere, semper Concilij actis subscriberet, & primo loco. hoc enim ratio postulat: cum capiti et principi comitiorum primus locus debeatur. & nisi qui præsidet, acta probet, vim nullam obligandi habent. hoc docemur exemplo comitiorum Regni, aut Imperij. legibus enim quæ in his conuentibus feruntur Imperator, & Rex subscribunt: quorum alter Imperij, alter Regni caput est. Concilijs verò generalibus, aut omnino non subscribit Imperator, aut post Episcopos subscribit, qui iudices fidei legitimi sunt. in Nicena enim Synodo adfuit Constantinus, at non subscripsit. In secunda adfuit Theodosius, nulla tamen eius extat subscriptio. duntaxat per acta Synodo legimus, edicto ab eo cautum esse, vt in ea religione cuncti populi sibi subditi manerẽt, quam Damasus Papa sequeretur, quod habetur de summa Trinitate, cap. cunctos. & narratur à Sozomeno cap. 4. lib. 7. suæ historiæ. In tertia Synodo nõ adfuit Imperator, misit tamen ad eam Candidianum Oratorem; sed neque Imperator, neque orator huic Synodo subscripsit, quod eius acta demonstrant. In quarta Synodo interfuit Martianus Imperator, interfuit Pulcheria

cheria Augusta, interfuerunt etiam aliquot iudices sæculares; sed in eius actis, neque Imperatoris, neque cuiuspiam Principis sæcularis subscriptionem reperimus. quinta Synodus imperante Iustiniano celebrata est: verum in ea non modo non subscripsit Imperator, aut eius nomine quispiam alius, sed neque legimus præsentem per se, aut per suos Oratores, Imperatorem in ea fuisse. eius Synodi acta hoc docent. In septima Synodo similiter accidit: si quidem in ea neque Imperatoris, neque Principis cuiuspiam extat subscriptio.

Itaque cum octo fuerint olim generales, atque œcumenicæ Synodi in Græcia celebratæ, duabus tantum Imperatores subscripserunt: sextæ, inquam & octauæ: sed non modo non subscripserunt priori loco, quàm Legati Pontificij, sed neque prius, quàm Episcopi: et in subscribendo Legati, & Episcopi declarant iudices esse se, Imperator verò minimè.

Legati Pontificis in octaua Synodo hoc modo subscripserunt, quod attigi paulo superius.

Ego Donatus Dei gratia Episcopus Hostiensis locum obtinens domini mei Adriani Pontificis, & vniuersalis Papæ, omnia quæ superius leguntur, & huic sanctæ & vniuersali Synodo præsidens ad voluntatem eiusdem eximij præsulis promulgaui, & manu propria subscripsi.

Epiſcopi hanc formã in ſubſcribendo tenent.

Ignatius miſericordia Dei Epiſcopus Conſtantinopoleos nouæ Romæ, ſanctam hanc, et vniuerſalem Synodum ſuſcipiens, & omnibus quæ ab ea iudicata, & ſcripta ſunt concordans, & definiens manu propria ſubſcripſi.

Conſueuerunt etiam, vt id obiter attingam, præſbyteri ſubſcribere, ſed forma diuerſa ab Epiſcopis, hac videlicet.

Gaſpar Cardillus Villalpandeus Segobienſis Vicarius Aluari Mendozæ Epiſcopi Abulenſis in Concilio Tridentino ſequendo definita ſubſcripſi, aut ſimpliciter, ſubſcripſi.

Eandem ferè formam cum preſbyteris Imperatores vſurpauerunt. nuſquam enim ſubſcribunt, vt iudices, vel definitores. quotieſcunq; vero ſubſcribunt, Principem locũ relinquunt Pontificis Legatis, Epiſcopiſq́;. eſt in actis octauæ Synodi, quòd cum ab Imperatore Baſilio peteretur, vt primus Synodo ſubſcriberet, religioſiſſimus Imperator reſpondit, tranquilliſſimum imperium noſtrum, ſequutum præcedentes, & iuſtiſſimos Imperatores, Conſtantinum Magnum, Theodoſium, ac Martianum, cæteroſq́;, vult ſubſcribere poſt ſubſcriptionem omnium Deo amabilium Epiſcoporum: ſed quoniam poſtulat nos præferri ſanctitas veſtra, ſubſcribam poſt ſubſcriptionem omnium ſanctiſſimorum virorum.

Reperio in Conc. Chalcedonensi, actione secunda, quòd cum ad Martinum Archimandritam directa fuisset chartula, vt subscriberet videlicet, non acquieuit, dicens, non est meum subscribere, Episcoporum tantum est. tametsi ex concessione, & priuilegio alijs plerisq; ea facultas facta sit. hinc factum est, vt in sexta Synodo, actione 18. primi subscripserint Pontificis Legati, deinde, centum septuaginta Episcopi, post eos tandem Constantinus Imperator.

At verò in omnibus œcumenicis Concilijs Legati Pontificis Romani subscripserunt, & primo loco, quod partim ex actis Conciliorum constat, partim docet Cardinalis Ossius uir optimus atq; doctissimus in Epistola quadam de ea re ad Orichouium scripta.

Legati Pontificis semper subscripserunt, & omniũ primi.

Superiorem sententiam nostram tertia Synodus generalis confirmat, in cuius 3. actione, in hunc modum disserit Paschasinus Pont. Maximi Legatus ad Concilium, de Leone Pontifice. 11

Nostram paruitatem huic sacro Concilio pro se præsidere fecit: partes verò officij præsidendi sic exponit. ideoq;, necessarium est, hæc, quæ in medium proferuntur per nostram interlocutionem disceptari. subdit, propter hoc ergo porrectus libellus à fratre nostro, & coepiscopo Eusebio susceptus ab Archidiacono, & Primicerio Notariorum recitetur, & suscipiẽs Aetius Ar-

 chidia-

chidiaconus, et Primicerius notariorũ recitauit.

In actione octaua eiusdem Cõcilij ita legimus.

Missi Apostolici, sunt ij, quos Legatos Pontificios vocamus, semper in Synodis primi loqui soliti sunt.

Huc spectat quod Athanasius scribit in 2. Apologia, volens infringere auctoritatem eius Synodi, quam Constantius Imperator conuocauerat: & in qua damnauerat quosdam ex Catholicis viris: ita enim ait.

Qua fronte talem conuentum, Synodum audet appellare, cui Comes præsedit?

Et ad calcem Epistolæ ad agentes vitam solitariam eundem repræhendens Constantium, & Synodum adulterinam consutans, Constantium, ait, induisse imaginem Antichristi, quoniam sine auctoritate Romani Pontificis Synodum conuocauit, & eidem præsedit: quis enim inquit, videns eum in decernendo Principem se facere Episcoporum, & præsidere iudicijs Ecclesiasticis meritò non dicat, eum, illam ipsam abominationem, desolationis esse, quæ à Daniele prædicta est?

Præterea actione prima, Synodi octauæ sic est scriptum.

Synodus exegit à Legatis Romanæ sedis litteras, quibus notam facerent potestatem suam vt præsiderent in Synodo.

Deinde

Deinde in Epistola Adriani Papæ ad Basilium Imperatorem, quæ est initio octauæ Synodi, ita legimus.

Volumus per vestræ pietatis industriam Constantinopoli numerosum celebrare Concilium. subiungit, quò, nostri quoque missi præsidentes. postremò ita necto rationem: ad præsidentem Concilij pertinet, fulcire, & corroborare auctoritate sua, quæ in Concilijs acta sunt: nemo hoc iure queat inficiari: atqui vt Concilij acta, rata et firma haberentur non fuit vsquam rogatus Imperator, petita vero semper est, & solicitata Pontificis auctoritas: ergo Imperator non præsidet Synodo: minoris propositionis fidem efficiam. nam cætera dubia non sunt, legimus quidem aliquando Concilium postulasse ab Imperatore legem ciuilem de re aliqua definita in Synodo, ferret: hoc nos docet Conc. Mileuitanū. deinde vt mandaret decreta exequutioni: quòd ad eam rem non omnino vires Ecclesiæ suppeterent: & est hoc munus, vt dixi superius, atque officium Principum Christianorum, præsertim Imperatoris, vt custodes sint, atque patroni legum, & vindices in iram, his qui statuta Ecclesiæ transgrediuntur: hoc constat 4. Synodo generali: constat etiam 2. post quarum alteram Martianus Imperator legem tulit, vt decreta eius Concilij, diligentissimè obseruarentur: post alte-

12. Ratio.

Officiū Imperatoris per acta Synodo.

alteram verò, hoc est secundam, edicto Theodosius cauit, ne populi ab ea fide discederent quam Damasus Papa amplecteretur: nusquam tamen mihi possit monstrare quispiam quòd Synodus petierit ab Imperatore, vt decreta, & Canones confirmaret: aut quòd hoc præstiterit Imperator: solemne tamen in omni Synodo illud est, neque vspiam aliter factum esse scimus, vt requirat Synodus Pontificis auctoritatem: quà, statuta confirmentur: exempla non difficile suppetunt: illi etenim patres qui Niceam conuenerunt, peracta Synodo, litteras ad Siluestrum Pontificem dederunt, quibus efflagitant, vt acta Synodi probaret, & sua auctoritate muniret. idem in reliquis Synodis accidit quod monstraui in Apologia aduersus Montanum.

Requirit Synodus à Pōtifice ut acta confirmet.

Idem cernimus etiam euenisse in hoc sacro Concilio Tridentino: patres enim omnes vnanimi consensu in publica congregatione decreuerunt, vt à Pontifice Maximo Pio IIII. decretorum confirmatio requireretur: quod ex vltima Sessione constat.

Ad Synodorum exempla, accedit magnorum virorum auctoritas, qui requirendum id censent à Pontifice.

Iulius Papa in epistola contra Orientales Episcopos, nullum ratum est, aut erit unquam Concilium

cilium quod non fuerit Pontificis auctoritate fulcitum.

August. epist. 90. & 92. de hac re disserens, inquit. August.

Hoc Concilium, domine frater (loquitur aût ad Pontificem) sanctæ charitati tuæ intimandum duximus: vt nostræ mediocritati, etiam sedis Apostolicæ adhibeatur auctoritas.

Prosper Aquitanicus, Concilio, inquit, apud Carthaginem habito 217. Episcoporum ad Pontificem Romanum Zozimum Synodalia decreta sunt perlata, quibus probatis, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est. Prosper.

Est apud Athanasium in epistola ad solitariam vitam agentes scriptum, quòd licet Constantius auctoritate conciliabuli quod coegerat, Athanasium damnasset, tantum putauit in vno Pontifice Romano Liberio positum, vt eum partim vi, partim pollicitatione conatus fuerit eò pertrahere, vt Athanasii damnationi subscriberet: intelligebat enim (quod Amianus Marcellinus memoriæ proditum reliquit lib. 15.) irrita fore omnia, quæcunque acta ab aliis fuissent, nisi Romani Pontificis consensus accessisset. Athanasius Amianus.

Damasus Papa in epist. ad Stephanum Archiepiscopum, & ad Africana Concilia. Damasus.

Synodum sine Romanæ Ecclesiæ auctoritate fieri, Catholicum non est: neque rata Concilia

lia ſunt: quæ Pontificis auctoritate fulcita non ſint.

Aymarus. *Hoc idem teſtantur Aymarus, & Iſidorus: quorum de hac re teſtimonia, ſuperiore diſputatione citata ſunt.*

Ex quibus omnibus non obſcurè videmur perſuaſiſſe, Conciliorum generalium præſidẽtem Pontificem eſſe Romanum, non Imperatorem, quod aduerſarij contendunt: tùm vt diſciplinam Reipub. Chriſtianæ perturbent, dum munia atque officia cõfundunt. tùm etiam vt Principes ſæculares, non ſolum cum Pontifice Maximo componant, ſed etiam inter ſe, vel eo nomine maximè, quòd alienas Pontifex partes vſurparit. Sed neque Principes ipſi, cuius humanitate, & candore abutuntur, neque populus, cui, propter iſtarum rerum ignorationem facile ſolent imponere, tam parum cordati, & ſine mente ſunt, vt ſaltem à nobis admoniti non redeant ad ſe: & hæreticos ſuſpectos habeant, qui fucum orbi terrarum facere nituntur.

Reſpondetur aduerſarijs. *Supereſt, vt rationibus in contrariam ſententiam adductis ab hæreticis ſatisfaciamus: quod præſtare facile nobis erit, ſi quæ diximus ſuperius, meminerimus.*

1 *Primum aiunt, eadem omnia obijci poſſe aduerſus Pontificem de præſidentia, quæ ſunt obiecta contra conuocationem Synodi, ſed cum priora*

ra argumẽta à nobis diluta iam ſint, neque vim habeant vllam, ad perſuadendum Conc. œcumenicum conuocandum eſſe ab Imperatore: haud dubiè quæ hoc loco dicuntur ab eiſdem, infirma ſunt: & pretij nullius ad conuincendum, Imperatorem Synodi præſidentem eſſe.

Citant deinde Cardinalem Cuſanum, qui verum Conciliorum præſidentem, Chriſtum eſſe ait, quaſi dicere velit, nullum alium præſidentem eſſe oportere. 2

Sed grauiter errant dum ita loquuntur, aut Cuſanus, ſi ita putat: nam præter Chriſtum Ieſum primum præſidentem, ſed ſpiritalem, & qui cerni non poſſit, altero proculdubio eſt opus, qui cernatur, & Chriſti locum teneat: quod initio huius diſputationis docuimus. is verò proculdubio Pontifex ſummus eſt: neque vnius Cuſani auctoritas tanti eſſe debet, vt propter eum, turbam doctorum & antiquorum ſcriptorum nihili faciamus: ſed hoc proprium hæreticorum eſt, regiam viam deſerere, vt per inuia atque inacceſſa procedant: quod vero Cuſanus, inquit, in Concilio Conſtantienſi ſcriptum reperiri, poteſtatem hanc immediatè à Chriſto eſſe, præterea in 8. Synodo, patres fuiſſe confeſſos datam ſibi eſſe à Chriſto poteſtatem, proculdubio nullam vim habet aduerſum nos. cum enim iudicio eiuſdem Concilij, vniuerſale Concilium legitimè congregatum, vniuer-

vniuersalem Ecclesiam repræsentet, quæ vnum corpus existit, cuius caput summus Pontifex est; reliqui verò huius capitis membra: nihil aliud illis verbis significatur, quàm quòd sit in Ecclesia facultas hæc Synodum conuocandi, atque tenendi. sed quemadmodum caput in cætera membra influit, cum existat in eo, medicorum omnium opinione, vis mouendi, vitæq; principium, ita quoque existimandum est in Ecclesia accidere. neque est vllus hominum in eadem, qui proximè, & sine medio vllo Concilio præsideat, cuius vis & facultas à Christo Iesu seruatore nostro orta non sit, & omnino vegetetur: hoc vnum est; quod de Christi præsidentia Cusanus scribit. neque.n.excludit Pontificem summũ, Christi præsidentia, sed iuuat potius eundem, dirigitq; vim illam, qua præsidet Ecclesiasticis iudicijs decernendis, & iudicandis causis: habet præterea Imperator eum locum, quem diximus, in Concilio: atque ideo à quibusdam præsidere putatur: quam Cusanus inferiorem præsidentiam vocare potuit: neque mediam excludere potest quæ inter hanc, atque illam summam, & præstantissimam interiecta est. aut si id facit, nullo iure, aut potius ineptè facit. Et suppetunt nobis plurimi grauioresq; auctores Cusano, quorum testimonio, atque sententia persuaderi aduersarij & potuerunt, & debuerunt: sed hæretici meritò hanc appellationem

Mos hæreticorum.

tionem

tionem nacti sunt: quoniam multorum opinione reiecta, vnius, aut alterius sententiam amplectuntur: neque quispiam est error tam perniciosus, quem non possint hæretici alterius cuiuspiam tegere auctoritate, non ex hæreticis modo (quoniam, vt Plinius ait, nullum tam impudens mendacium est, vt teste careat) sed etiam ex Catholicis perperam intellectis: quod scribit Vincentius Lyrinensis libro quem fecit aduersus prophanas nouationes.

Addunt in hanc sententiam, illam quoque rationem: iudicium de religione, Episcoporum est; sed eorum actionibus & rationibus Pontifex Romanus præsidet, easdem moderando, ergo est etiam alius qui Pontificis actiones, rationesq́ moderetur: cum autem præter Imperatorem nullus sit alius, præsidet Imperator omnibus: etiam Pontifici: hoc modo concludunt aduersarij. 3. Ratio.

Nos verò fatemur libenter iudicium de religione penes Episcopos esse: cum sint illi quidem religionis doctores, prædicatores, principesq́.

Fatemur etiã præsidere Pont. Episcopis, atq; eorum actiones, rationesq́, moderari: non potuerunt id inficiari hæretici, tàm est illud planum atque apertum. at consequentia nullam habet vim, sed admodum vitiosa & calumnijs plena existit; dum ita argumentantur: præsidet Pontifex Concilio, & Episcoporum actiones, atque

rationes

rationes moderatur, ergo est alius qui eius actiones & rationes moderetur: colligunt enim à disparatis: nam Pontifex ideo præsidet Episcopis, & moderatur eorum actiones, quoniam ad eundem ordinem cum Episcopis pertinet: sunt enim Episcopi cæteri Pontifice inferiores: & quæ plura sunt ad aliquod tandem vnum referri debēt. sunt etiam Episcopi veluti membra eius corporis, cuius Pontifex caput existit: at superior inferioribus naturà præsidet, & caput membris cæteris præficitur, atque ea gubernat. Imperator verò neque Pontificis caput est vlla ratione, neque superior eodem: sed vel ordinis diuersi est. alter enim summum est in Repub. Ecclesiastica, & spiritali: alter verò in corporali, ita loquamur, aut ciuili. imo verò cum Ecclesiastica gubernatio spiritalis sit, ciuilis, corporata, sicut corporatum naturà sua spiritali subditum est, vt imperfectum quoduis, perfecto, ita quoque necessarium est, vt Imperator, Pōtifici subditus sit, atque ab eo gubernetur.

Ineptè colligunt hæretici.

Neque necesse est, vt sit quispiam in terris Magistratus, qui Pontifici præsideat, & cui ille subiectus sit, atque pareat. perinde atque in gubernatione ciuili non est aliquis Imperatore superior, à quo eius actiones dirigantur, & gubernetur eius vis, quoniam opinione Philosophorum omnium, in quouis genere est aliquod vnum

Non potest in terris magistratus esse Pontifice præstātior.

ad

ad quod cætera referuntur, quæ sunt in eo genere; cum ipsum summum, & maximum, non habeat, quò referri possit; nisi velimus abire in infinitum, sed tunc neque summum aliquod, neque maximum erit vllum. nam si Imperator Pontificis actiones moderari debeat, ea ratione, quam adferunt aduersarij, eadem, dabitur alius ad quē referatur Imperator: quare cæteri omnes ad Pontificem referuntur, ipse verò ad neminem referri debet, sed necesse est, vt in eodem stemus: cuius iudicium Deus sibi reliquit: quia primam sedem nemo iudicabit.

Quòd si nulla causa est (quod superiore disputatione monstraui) cur Pontifex facultatem ammittat Synodum conuocandi, quam ab ipso Christo accepit, maximè is Pontifex, qui Ecclesiam modò gubernat, & quantum in se est, in correctionem disciplinæ Christianæ, & morum emendationem magna quadam diligentia, atq; studio incumbit, nullumq; lapidem non mouet, vt collapsæ vitæ hominum, & perditæ opituletur, præsertim, cum cœptum ab alijs summis Pontificibus Concilium ad vmbilicum perducere, magnis suis expensis, laboribusq; procuret. similiter existimandum est nullam omnino causam superesse, cur hæretici asserant, ab ea facultate excidisse, qua, humana, naturali, & diuina lege, Synodo præficitur præsidetq;: & qui contrà Pij IIII. laus.

G dispu-

diſputant, coniectisq́; in vnum conuitijs contumelijs, & maledictis, alijs id volunt perſuadere, turpiter impudenterq́; labuntur, neque vllam eorum oratio fidem habere debet.

DISPVTATIO TERTIA.

DE LOCO, IN QVO Synodus teneri debet.

DVAS *cauſas, quibus aduerſarij nituntur efficere, Synodum Tridentinam legitimam non eſſe, hactenus excuſſimus: tertiam examinemus oportet: ea eſt, quòd Concilium iſtud non ſit legitimo loco coactum: ſic igitur ſtatuo.*

Aſſertio. *Synodus Tridentina ratione loci non poteſt parum legitima putari. hanc ſententiam his rationibus conuinco.*

Prima ra. *Prima eſt. de loco, vbi Synodus tenenda eſt, nihil habemus in ſacris litteris expreſſum, aut ex eis deductum conſequentia neceſſaria, aut oſtendant nobis locum, qui in contraria ſint opinione*

nione facilè eiſdem ſatisfaciemus. imo verò ex eis colligi videtur de ea re nihil omnino eſſe ſtatutum. vbicunque enim duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, Chriſtus ait, in medio eorum ſum: ſiue verbum illud, vbicunque, ad tempus, ſiue ad locum referamus. ergo humana tantum lege, locus decerni debet, at qui non lege, lata à Principibus ſæcularibus, quando, vt oſtendi, in eorum poteſtate ſitum non eſt, Synodum conuocare, neque illi præſidere Synodo poſſunt. Eccleſiæ igitur, & Pontificis Maximi decreto, locus ſtatui debet. atqui Pius IIII. Pontifex Maximus Tridentum delegit tenendæ, & celebrandæ Synodo: ergo loci ratione non poteſt, aut debet parum legitima cenſeri.

Confirmatur hæc ſententia, quoniam Canone 39. Conc. Conſtantienſis facultas Pontifici 2 *datur deſignandi locum, in quo Synodus tenenda ſit, his verbis.*

Concilia perpetuò celebrentur in locis, quæ ſummus Pontifex per menſem antè Concilij finem deſignauerit. ſubiungit, vel ipſo ceſſante, Concilium aſſignare locum teneatur.

Imperatoris verò, neque præſenti loco, neque alio quopiam, quod ſciam, mentio illata eſt, vbi de loco Synodi decernitur.

Huc accedit, quòd licet concedamus (quod 3 *nunquam concedimus) ab Imperatore, vel Prin-*

cipibus Chriſtianis locum eſſe decernendum, ratione loci Synodus Tridentina maximè legitima cenſenda eſt: quoniam de eo loco, in quo modò tenetur Concilium inter Pontificem Maximum, & Principes conuenit. inſuper etiam inter Principes ipſos. omnes enim, quotquot Chriſtiani ſunt Principes, Tridentum probauerunt, miſſis eòdem Oratoribus: neque de loco inter eos vlla controuerſia fuit. ſi quà verò fuiſſet aliquando pacata omnino, & abolita putari debet.

4 *A ſimili etiam hæc ſententia perſuadetur, quemadmodum Regibus, & Principibus Chriſtianis integrum eſt, locum comitÿs tenendis, & celebrandis deligere, qui illis maximè probetur habita perſonarum, & negotiorum ratione, ita quoque exiſtimare par eſt in poteſtate Pontificis Romani, qui caput Eccleſiæ eſt, & paſtor ac rector Eccleſiæ vniuerſalis, ſitum eſſe (habita similiter ratione cauſarum tractandarum & cæterarum rerum) tempus, & locum dicere, in quo Synodus teneatur.*

Obiectio prima. *Inſtant hæretici, Concilium in Germania cogi debuit, ita enim in comitÿs imperialibus non ſemel decretum eſt, ergo Concilium Tridētinum non poteſt legitimum cenſeri.*

Soluitur. *Hæc verò inſtantia parum nos vrget: primum, quia tametſi concedamus in ſolemnibus Germanorum conuentibus ſæpius fuiſſe delibera-*

tum.

tum. ut Concilium in Germania celebraretur, semper adiectum esse audio, nisi aliter deinde visum sit. si verò hoc adiectum non est: nullas vires habere potest, quæ de ea re lata lex est, nisi id probarit Pontifex, in cuius facultate positum est Synodum conuocare, & locum decernere. quanquam dum Concilium Tridenti celebratur in Germania teneri videtur, cum sit Tridentum in finibus Italiæ, qua parte Italia Germaniam attingit. ut iam nemo, nisi qui sit admodum delicatus, inficiari queat, Tridentinam Synodum in Germania coactam esse, atque teneri. hoc constat, vel ex ea Episcoporum Germanorum Epistola, quam hoc loco citant aduersarij nostri, quæ in hunc modum habet: Concilium inchoatum est in opido Tridentino, ut verius in Italiæ finibus, quam intra Germaniæ Oram constitutum esse videatur. isti verò Italiæ fines proculdubio initia Germaniæ sunt. Tridētum.

Quantæ verò commoditates Tridenti suppetant ad Synodum tenendam tranquillè, quiete, ac citra ullam indigentiam rerum necessariarum, quod magnopere curandum est, quoniam copiosè admodum in Apologia aduersus Montanum dictum à nobis est, non est cur de ea re in præsentia quidpiam dicamus. illud tamen minimè silere volo, usque adeò placuisse hunc locum Imperatori, ut cum à Gallis solicitaretur, pate- Quot suppetant Tridenti commoditates ad Synodū tenendam.

retur & curaret, vt Concilium in aliam quampiam Germaniæ ciuitatem transferretur, prudentiſſimè, & Chriſtianè admodum reſponderit, non poſſe in Germania reperiri, aut tutiorem aut cõmodiorem vllum locum tenẽdæ Synodo, quàm is ſit: & qui, de translatione cogitaret, nihil aliud agere, quàm vt Synodus diſſoluatur magno cum dedecore Reipub. Chriſtianæ: ipſosq́; hæreticos nullum omnino locum tutum, aut ſatis commodum huic negotio conficiendo reperturos.

Lib. 1 ep. 3.

2. Obiectio.

Obijciunt deinde nobis vetuſtum illum Canonem, cuius beatus Cyprianus mentionem facit, in quo ſcriptum eſt, inquiunt, vt Eccleſiæ controuerſiæ dirimantur eo loco, in quo exortæ ſunt. cum igitur hæreſis hæc, quæ tantopere Eccleſiam exagitat, atque vexat, in Germania ſit orta, neceſſe eſt, aiunt, vt in Germania conuentus iſti ſolemnes Eccleſiæ teneantur.

Quomodo ĩtelligatur Canon ille, ibi ferendũ iudiciũ eſt, ubi lis orta eſt.

Cæterum Canon nullum momentũ habet aduerſum nos: primum, quoniam, magnorum virorum iudicio, Canon ille, quem memorant, non publicas, ſed priuatas potius controuerſias, & cauſas attingit: quod ex eiuſdem Cypriani Epiſtola conſtare poſſit, in qua de priuati hominis cauſa agitur, qui cum à Cypriano damnatus eſſet, Romam, ad Cornelium Pontificem Maximum confugit, atque eodem cauſam reuocare conatus eſt: quod ægrè Cyprianus ferre poterat. & verba

verba ipsa Cypriani hoc declarant, ita.n.ait.

Nam cum statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter ac iustum, vt cuiusq; causa illic audiatur, vbi est crimen admissum. cuiusque causa inquit, non publica. subiungit, quod rem ipsam planiorẽ facit, oportet vtiq; eos quibus præsumus non circũcursare: sed agere illic causam suã, vbi & accusatores habere, et testes sui criminis esse possint. Publicæ etenim causæ, quales illæ proculdubio sunt, quæ in œcumenicis Concilijs agitari solent, nõ in loco tractari necessario debẽt, in quo primũ natæ sunt. hoc possit exẽplo antiquarũ Synodorum conuinci, nullo negotio. pauca enim generalia Concilia illis locis coacta, & habita sunt, in quibus hæreses sunt ortæ. prima enim Synodus, Niceæ habita est cõtra Arrium Alexandrinum. tertia, Ephesi, contra Nestorium Episcopum Constantinopolitanum. quarta, Chalcedone, contra Dioscorum Episcopum Alexandrinum, & Eutichem Monachum Constantinopolitanum. quinta, Constantinopoli, contra Petrum Episcopum Antiochenum. septima, Niceæ aduersus Leonem Imperatorem. & tandem contra Græcos Florentiæ in Italia Synodus habita est. quorsum ergo aiunt aduersarij, haberi in eo loco Synodum debere, in quo primum controuersia orta est, si post tempora Cypriani tot videmus Synodos celebratas procul ab eo lo-

Cyprianus lib.1.epi.3.

co, vbi controuersiæ primum natæ sunt, quæ illis Synodis agitantur.

Quæ nationes laborēt peste Lutherana.

Deinde, quia tametsi Canon Cypriani publicis fidei, & religionis negotijs accommodaretur omnino, quod minimè verum est, nulla prorsus causa est, cur modò querantur Germani, non fuisse apud se Concilium coactum. Nam præter Germanos, hæresi, quoque laborant Galli, Angli, Scoti, Poloni, Dani, aliæq́; nationes, quæ omnes poterunt eodem iure contendere apud se tenendum & celebrandum Concilium esse.

Vt autem litem, quæ exoriri fortasse poterat, Pontifex dirimeret, & querelarum occasiones omnes funditus amputaret, de Consilio Imperatoris, ac reliquorum Principum Christianorum Tridentum delegit, aptissimam sedem commodissimamq́; dirimendis controuersiis, quas hæretici aduersus Ecclesiam, his temporibus, excitauerunt: quod potuit optimè facere; quia Canon ille, neque Pontificis Romani, neque generalis Concilij auctoritate conditus est, sed priuata potius quorundam Africanorum Episcoporum, quod Cypriani illa verba significant, cum statutum sit omnibus nobis: & si publica confectus esset, hoc est Ecclesiæ totius, auctoritate, non dubium est, quin si Pontifex ita iudicaret expedire, locum deligere posset, quem Synodo tenendæ, ac celebrandæ commodissimum existimaret.

Addunt

Addunt prætereà, amplissima Germania est, & in medio Christiani orbis sita, & multos habet locupletes, ac maximè potentes Episcopos intra se, atque etiam Cæsarem ipsum: vt ob eam rem in Germania cogenda sit Synodus. 3 Obiectio. Solvitur.

Fateor amplissimam esse Germaniam: sed quid ad hanc rem pertinet, de qua agimus, amplitudo? quasi vero non possit alius locus Synodum capere. in medio autem orbis Christiani sanè non est: sed Tridentum potius tale opidum censeri debet: nam ferè æquis loci interuallis abiunctũ esse videtur ab Italiæ finibus illis, qui Neapolim spectãt: à finibus Germaniæ, in cuius Ora situm est, à Gallia præterea, & Hispania, Sicilia, Sardinia, alijsq; insulis, unde Tridentũ, non exigua Episcoporũ copia venit: Episcopis verò Germanis, cum sit illis per Germaniam Tridentum contendendum, quis negat quin propter linguæ & vitæ coniunctionem, eòdem commodè patere aditus possit. quòd si deserere Ecclesias verentur suas metu seditionis, quæ vobis auctoribus singulis diebus excitatur, procuratores suos mittant: quod faciunt impediti morbo, aut senecta, & Ecclesiæ lege facere permittuntur, atque est à plerisq; eorum hoc tempore factum, more cæterarum nationum. Situs Tridenti.

Imperator verò Ferdinandus qui summo studio, magnisq; conatibus dat operam, vt hoc sacro-

cro-

croſanctum Concilium vtiliter, & cum fructu Chriſtiani orbis peragatur compoſitis de religione controuerſijs, facilè, ſi rem ita norit poſtulare, adeſſe Tridenti poſſit: præſertim, cum Æneponti, non procul à Tridento, agere & verſari diu ſoleat.

4. Obiectio ſoluitur.

Addunt inſuper: nulla regio magis abundat rebus neceſſarijs: nulla tàm ſalubri aere fruitur: nulla perinde libera eſt: nulla propter ſimplicitatem incolarum, minus obnoxia fraudibus faciendis: quamobrem ibi maximè teneri Synodus debet.

Sed concedamus hæc omnia vera eſſe: quid tum poſtea? nunquid habent hæretici aliquam ſatis firmam rationem aduerſum nos? minimè ſanè: niſi Tridenti omnia contraria exiſtant: quod neque verum eſt, neque mendaciſſimi alioqui hæretici, id audebunt affirmare: facile enim mendacij arguentur. etenim Tridenti nullius rei hactenus copia defuit, non modo quæ ad vitam neceſſaria ſit, ſed etiam ad delicatè, & opiparè, & genialiter viuendum, ſi quis ſit, qui ea vitæ ratione capiatur: fora venalia perpetuò referta ſunt, eſculentis, & poculentis: neque hæc magno nobis pretio conſtiterunt; præſertim ſi, cum interiori Germania, atque Italia Tridentum conferamus.

Copia rerũ Tridenti.

Iam vero tàm ſalubri aura, & benigno cœlo

Aura, & cœlum Tridentinum.

lo Tridentum fruitur, vt cum duobus his proximis annis nusquam in plerisque Germaniæ locis pestis esse desierit; quæ ingentem hominum copiam abstulit, atque absumpsit, certè Tridentum nullo morbo, non dico populari, sed qui aliqua ratione timeri posset, perturbatum est. vsque adeò, vt ex quadringentis ferè Episcopis & presbyteris, doctis hominibus, qui magna ex parte, annis graues, ætate confecti, afflictaq́; valetudine ex studijs atque negotijs Tridenti adsunt, vix vnus aut alter interierit. nisi hoc summo Dei beneficio hæretici adscribant, qui eos seruare vult, qui in vnum conuenerunt, vt Ecclesiæ suæ causam agant, & hostibus fidei, ac religionis gladio spiritus resistant, quod est verbum Dei.

Duas æstates integras, duasq́; hyemes egimus Tridenti, sed neque æstate vsquam molestus fuit, atque grauis calor, neque hyems vllo modo sæuijt, quæ in Germania atrocissima & exteris inimica nimis esse solet: quin imo quadam veluti temperamento, & vitali atque cœlesti aura videmur fuisse semper recreati, vt vitam, sine vllis temporis incommodis transigeremus.

Quòd si tàm libera Germania est, quàm aduersarij nostri contendunt, quonam obsecro pacto tutò Catholici in Germania viuent, libera gente, & magna ex parte, fidei inimica? quæ ho-

stilem

Non est tutum tenere Concilium in Germania.

stilem animum in Episcoporum ordinem, ac sacerdotum gerit? præsertim cum hæc sacrosancta comitia eò maximè nomine coacta sint, vt huius gentis hæresis damnetur: conuincantur improbi mores & doctrina explodatur: ego non dubito, quin homines Germani periculosos admodum tumultus et seditiones essent excitaturi, non in singulos modo suæ sectæ atque doctrinæ aduersarios, sed etiam in ipsam Synodum vniuersam. quod haud difficilè quiuis possit sibi persuadere: nam cum sint Germani, simplices homines atque sinceri, quod hæretici ipsi testantur, seditiosi, & turbulenti homines eorum simplicitate nullo negotio aduersus sanctam Synodum abutentur. facile autem ab his persuaderi poterunt, quibus fidem habent, quia damnata vetere, nouam ab eis fidem acceperunt: & Catholicam doctrinam, vt nuper natam insererēt, eorum mentibus euulserunt. quid autem ab illis hominibus periculi non timeamus, qui neque principes, neque Imperatorem, neque etiam Deum ipsum immortalem in animo habent, qui sanguinem nostrum quàm omnia malunt, quem sitiunt auidissime: atque eodem expleri magnopere cupiunt? odio inflammati, & veneno imbuti, quod Martinus Lutherus ipsorum Coripheus, & Antesignanus Pontificis Maximi, & Ecclesiæ hostis iuratus, non modo, in ipsorum sinus euomuit, sed etiam

intra

intra pectora condidit altissimè. neque hoc, dum viueret solum odij venenum Luther in suorum viscera curauit adigere, sed appetente iam morte veluti testamento reliquit: ex cuius pectore, tanquã ex herebo, cui proximus erat, illud carmen erupit tali poeta dignum.

Pestis eram viuens: moriens tua mors ero Papa.

Addunt rursum, Tridentum, opidum esse exiguum, & parum capax, præsertim si Episcopi Germani Synodo interesse velint, quibus est in more positum, ingens habere famulitium: nã Itali, et Hispani, inquiunt, vix quattuor, aut quinque famulos alunt. linguam præterea culpant, quòd peregrina sit: neque rectè Germani Tridentinos loquentes possint assequi. 5. Obiectio.

Sed quam hæc vera certaq; sint, omnes quotquot Tridenti adfuerunt, nouisse poterunt: exiguum sanè opidum Tridentum est, fateor: quoniam vix habet mille domos: sed tàm capaces omnes illæ sunt, tàm aptæ & ad excipiendam multò maiorem hominum copiam, quàm adsit Tridenti, instructæ, vt nusquam hactenus quispiam domum desiderarit: præter vrbis. n. amplitudinem, & domorum magnificentiam, magnam nobis Tridentini commoditatem faciunt, cum se in villas, atque domos, quas habeat in agris plurimas, recipiunt, vt dum nobis lo- Tridẽti amplitudo, & capacitas.

ci.m

cum faciunt ampliorem, facultates suas augeant, & rem familiarem amplificent: ergo tametsi omnes Germaniæ Episcopi Tridentum venirent, quos scimus paucos esse, hæreticorum vitio, qui templa sunt plurima demoliti, eorumq; redditus, aut ipsi vsurpauerunt, & deuorant turpiter, aut, ad suorum Principum facultates addiderunt, vt hac veluti esca, illos, in suam nassam pertraherent, et propitios in magnis etiam flagitijs haberent, certum est, domos amplissimas atque admodum magnificas reperturos, quas incolerent: præsertim cum ad Synodum paucos Episcopi seruos adferre soleant, vt expeditius, atque commodius versari possint.

Hispanorũ Episcoporũ familia.

Ne tu tamen tacite Hispanos carpas, scias velim Hispanos Episcopos inter eos meritò referendos esse, qui multam familiam habent: seruos alunt plurimos: splēdidè vitam degunt: sunt enim omnes opulenti. neq; paucos Italorum nouimus, viros nobilissimos, qui cum quibusuis de domus splendore, et famulitio iure certare queant. quanquam hoc non magnopere Episcopum decet, sed mensa potius frugalis, pauci serui, & benè morati compositiq;: modo sint Eleemosinæ frequentes. est enim Episcopus orphanorum pater, & pauperum custos, atque patronus.

Lingua Tridentinorũ.

Rursum cum ferè omnes Tridentini Germanicè intelligant, & loquantur, est.n. oppidum in

Germa-

Germanos atque Italos diuisum; ego non video, qua fronte, mendacissimi homines audeant dicere non fore Germanis iucundam Tridenti vitam, sed molestam potius, ingratam atque iniucundam. mihi quidem rem altius consideranti, ita videtur, eo vno nomine non potuisse deligi locum aptiorem tenēdæ Synodo, quòd duæ sint Tridentinis linguæ familiares, Germanica, & Italica: quarum altera, Germani vti potuerunt, salebrosa, atque obscura nimis: altera verò cæteræ nationes, facili quidem, atque exposita omnibus. heu quanto labore versarentur nationes cæteræ inter Germanos, quos nullo modō loquentes assequi possent: vt cætera incommoda taceamus. ergo cum nulla legitima causa sit, neque fingi usquam possit, cur Tridentum improbetur, sed contra reputando multæ sint; & certissimæ omnes, quæ locum ad eam rem maximè commendent, proculdubio Synodus Tridentina ratione loci legitima putanda est: hæretici uerò tanquam parū legitimi accusatores sunt repellendi: sed ad alia, his expeditis, transeamus.

DISPVTATIO QVARTA.

VTRVM SYNODVS Tridentina libera ſit.

MVLTIS *ex fontibus, licet omnibus illis ſordidis, & odio atque inuidia contaminatis hæretici argumenta petunt, vt adimant, ſi poſſint, ſacroſancto Concilio Tridentino auctoritatem: & hactenus quidem tres fontes obduximus ſpurciſſimos, nè illi tetro odore ſimplicium hominum opinionem atque iudicium inficerent. Iam tempus eſt, vt quartum aggrediamur: atque illum, quanta maxima fieri poſſit diligentia, & ſtudio obturemus. eſt enim longè cæteris peſtilentior, & pluribus maledicentiæ, conuitiorum, & contumeliarum uenenis infectus.*

Prima aduerſariorũ obiectio.

Contendunt itaque aduerſarij Synodum Tridentinam omni auctoritate uacare, quòd libera non ſit. in hanc autem ſententiam pluribus argumentis vtuntur: unum eſt, quoniam qui illam indixit, atque ei præſidet Pontifex Romanus, grauiſſimorum criminum agitur reus, ferri

ri autem nullo pacto debet, aut potest, vt cum iudicium exercetur, idem reus, & iudex sit, & qui ab alijs accusatur, ipse pro suo arbitratu iudices deligat.

Hæc tamen ratio nullam habet proculdubio vim, quod vt verum esse doceamus, exquiramus initio, qui nam illi sint, qui Pontifici crimina obijciunt, qui litem intendunt. haud dubiè hæretici homines, qui Pontifici, Romanæ sedi, Episcopis, sacerdotibus denique omnibus sunt infensissimi: quod faciunt more suo solemniq́; consuetudine. perpetuò etenim Pontifex ab hæreticis accusatus est, semper actus reus magnorum criminum. præstiterunt id Arriani, Manichei, Nouatiani, Priscillianistæ: id fecit Dioscorus, fecit Photion, Vssitæ, Vbiclesistæ, & cætera id genus monstra, quæ sua vbera Martino Luthero, Oecolampadio, & Melancthoni admouerunt: sed nihil hoc impedimento fuit vsquā quo minus veteres Pontifices, qui accusabantur, cōcilia indicerent, atque eisdem præsiderent: & quæ sunt in eis statuta, atque decreta irrefragabilem sunt sortita semper auctoritatem in Ecclesia. si quis autem pluribus his retro annis Pontifex in Ecclesia fuit, qui flagitijs illis quæ ab hæreticis obijciuntur, minimè fuerit obnoxius, is est maximè Pius Quartus, qui modò ad Ecclesiæ sedet gubernacula. religiosus enim est: fidei, & bonorū morum

Soluitur.

Qui sit qui Pontifice accusant.

Pii IIII. uirtutes.

H culior

cultor, improbitatis, et vitiorum propugnator acerrimus, abusuum, qui in Ecclesiā irrepserunt, stirpator strenuus, integer denique vitæ, & sceleris purus. tolerandum verò non est, quod de Nouatianis scribit Cyprianus, vt de præposito Ecclesiæ iudicent extra Ecclesiā constituti, de Christiano hæretici: de sano, saucij: de integro vulnerati: de stante, lapsi: de iudice rei: de sacerdote, sacrilegi.

Epis. 3. li. 1. Cyprianus.

Hæretici de Pōtifice iudicare non debent.

Sed vt concedamus fuisse aliquando Pontificem flagitijs coopertum, & perditum prauis facinoribus, nulla sanè causa est, cur quispiam existimare debeat, Pontificem Maximum à Concilio posse iudicari. etenim Pontifex neminem habet, præter Deū, à quo possit in terris iudicari.

Pontifex à nemine potest in terris iudicari

Antherus Papa.

Antherus Papa Epist. vnica sic ait,

Facta subditorum iudicantur à nobis, nostra verò iudicat Deus.

Cōc. 1. Ro.

Concilium Romanum, sub Siluestro.

Primam sedem nemo iudicabit, quoniam oēs sedes à prima, iustitia desiderant temperari. addit, neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque à Regibus, neq; à populo iudex iudicabitur. nè tamen hanc quispiam sententiam exiguo pretio habeat, audite à quibus illa probata, lataq́; sit: & subscripserunt, ait Concilium, ducenti octoginta quattuor Episcopi, quadraginta Presbyteri, quinque Diacones, & duo sequentes, Augu-

ſtus Conſtantinus, & Helena mater eius, quòd ſi Pontifex ab omni clero iudicari non poteſt, ergo neque à Concilio.

In Concilio contra Sixtum Tertium. Cōc. cōtra Sixtū III.

Non licet aduerſus Pontificem dare ſententiam.

Nicolaus Primus in Epiſt. ad Michaelem Imperatorem Conſtantinopolitanum, & habetur diſt. 21. intantum ſedes Romana. Nicolaus I.

Sedes, inquit, Romana à nemine iudicari poteſt. id inter cætera duobus demōſtrat exemplis. altero, Concilij Chalced. in quo ſancti patres Dioſcorum Alexandrinum antiſtitem ob eam maximè rem ſine ulla reſtitutione damnauerunt quòd in cœlum os ſuum poſuiſſet, inquit Nicolaus, & lingua tranſeunte ſuper terram, excommunicationem in Sanctum Leonem Papam dictarit. altero exemplo Romani Concilij, in quo ſcriptum eſt, factum eſt, ut in Concilio Epiſcoporum nullus in Marcellinum Papam, qui tempore Diocletiani, & Maximiani Auguſtorum, idolis compulſus ſacrificauerat, ſententiam proferre auſus ſit, dum omnes ſæpiſſimè dicerent, tuo ore iudica cauſam tuam, non noſtro iudicio. Cōc. Chal. Conc. Ro.

Concilium Marcellini ſic habet. Conc. Marcellini.

Synodus uniuerſa hoc dixit, cunctorum iudicio, tu eris iudex: ex te enim damnaberis, & ex te iuſtificaberis, veruntamen in noſtra præ-

sentia. illuc verò dum veneris ad iudiciũ tuum, ex te tunc damnaberis, & ex te iustificaberis. quod potest in hanc sententiam apertius testimonium adferri? quando ipsum Concilium Romano Pontifici, qui vi, ac metu dijs gentium sacrificia obtulerat, inquit, tu eris iudex: neque enim ausi sunt patres qui præsentes aderant, Pontificem vlla ratione damnare. iudicij verò formam audite, planè intelligetis quo pacto cum Pontifice, iudicio contendendum sit, et vestra impietas, hac parte, audaciaq; sacrilega retundetur. cum primum de Marcellino cœptum est agi iudicium, ait Synodus differens de Episcopis, ij sunt, qui introierunt Episcopi, audientes, non tamen iudicantes. sequitur statim, presbyteros, & Diaconos damnant: qui, inquam, Marcellinum Papam dimiserunt, ipsos, inquit, damnauerunt, & iudicauerunt: addit, Pontificem verò non iudicabant. rationem reddit sancta Synodus, dicens, quia hoc, ex vno ore erant corroborati, vt intra horum septuaginta duo testimonia (tot enim aduersus Pontificem producebantur) ipse iudex, Pontifex videlicet Marcellinus, ipse reus, ipsemet ipsum in præsentia eorũ se seruaret, aut infidelẽ damnaret. Aiunt Episcopi, iam audi Pontifex, & iudica causam tuam, quoniam ex ore tuo iustificaberis, & ex ore tuo damnaberis. iudica inquiunt, causam tuam. sub-

Forma iudicii de Marcellino.

inferunt. non enim nostro ore iustificaberis, aut nostro ore damnaberis: narrat deinde sancta Synodus, quà forma iudicium peractum sit, dicens: in sinu autem trecentorum Episcoporum (tot enim aderant in ea Synodo ne quispiam putet causam fuisse actam priuatè) caput cinere conuolutum habens Marcellinus Episcopus Vrbis Romæ voce clara clamans, dicebat, Peccaui coràm vobis, & non possum in ordine esse sacerdotum, quoniam auarus corrupit me auro. subscripserunt igitur in eius damnationem. sacerdos nomine Helchiades Episcopus subscripsit primus in exemplum futuri temporis, quoniam ipse clara voce dicebat, iustè ore suo condemnatus est, & ore suo anathema sumpsit, Maranatha, quoniam ipse ore suo condemnatus est. addit Synodus, nemo enim vnquam iudicauit Pontificem, neque sacerdotem suum præsul: quoniam prima sedes non iudicatur à quoquam.

Hæc forma in iudicando Marcellinum à sancta Synodo seruata est: ille se ipsum damnauit: neque ausa est Synodus in Pontificem, qui idolis sacra fecerat, sententiam ferre. in qua, illud diligenter oportet animaduertant aduersarij iudicio Synodi permissum fuisse Pontifici vt ipse rei, atque iudicis: & testis partes ageret: ne tantopere mirentur.

Hanc eandem quæstionem vniuersam copio- Adrianus Pontifex.

sè, atque eleganter expedit Adrianus Pontifex in tertia allocutione facta ad Synodum his verbis.

Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum præsulibus iudicasse legimus: de eo verò quempiam iudicasse non legimus. diluit deinde obiectionem, inquiens: licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum: sciendum est, quia fuerat super hæresi accusatus. non dicit autem, quòd fuerit hæreticus: propter quam solum, hæresim inquam, licitum est minoribus maiorum suorum motibus resistere, vel prauos suos sensus liberè respuere. subiungit Pontifex, quanuis & ibi, hoc est, cum accusatur Pontifex de hæresi, neque Patriarcharum, neque cæterorum antistitum cuipiam de eo, quamlibet fas fuerit proferre sententiam, nisi eiusdem primæ sedis Episcopi consensus præcessisset.

Qua rõne Synodus de Pontifice agere debeat.

Quoniam verò accidere aliquando potest, vt sancta Synodus de his quæ pertinent ad Ponticem Maximum agere velit, quæ ratio obseruanda & norma tenenda in ea re sit, docet sancta 8. Synodus generalis his verbis, cap. 21.

Si Synodus vniuersalis fuerit congregata & facta fuerit, etiam de sancta Romanorum Ecclesia quæuis ambiguitas, & controuersia, oportet venerabiliter, & cum reuerentia conuenienti de proposita quæstione sciscitari, & solutionem accipere:

pere, aut proficere, aut profectum facere. subiungit, non tamen audacter sententiam dicere contra summos senioris Romæ Pontifices.

Istam sententiam eleganter admodum atque eruditè confirmat Nicolaus Primus in Epist. ad Michaelem Imperatorem. nam docet in primis, hæreticos, aut schismaticos, quales aduersarij nostri sunt, iudices esse non posse, neque Pontificem accusare. Nicolaus I.

Deinde demonstrat, quòd subditi Prælatos suos iudicare, accusare, aut etiam reprehendere leuiter, neque debent, neque possunt. hanc rem, quoniam multis Nicolaus persequutus est, loco à nobis paulò superius indicato, scrupulosè, citatisq; verbis explicare non est consilium.

Nulla igitur causa est, cur colligant aduersarij Synodum Tridentinam legitimam non esse. quòd, in ea libertas non sit præsidentis culpa: cum Pontifex à nemine debeat, aut possit iudicari, vt magnorum virorum doctrina, & antiquitatis exemplo totius monstratum est. neque mirum putari debet, cum causa Pontificis agitur, si idem iudicis atque rei partes agat. siquidem id Synodus libenter tulit, cum iudicium de Marcellino exerceretur.

Pius verò Quartus, qui modo Ecclesiã Christi moderatur, cum admodum viuat innocenter & collapsam Christianæ Reipub. disciplinam De Pio iiij. sententia.

summa diligentia velit instaurare, præter ius, & æquum, ab hæreticis iure Synodum conuocandi, atque tenendi repellitur: præsertim cum ille, pro insito animi candore, et humanitate, more Sixti III. Pontificis Maximi Synodo Tridentinæ copiam fecerit, vt se, domumq; suam, simul cum vniuersa Ecclesia, si qua in parte à maiorum institutis, & ratione viuendi exciderit, corrigat, atque emendet. Sixtus etenim, cum aduersus eundem coactum Concilium in hunc modum loquutum esset,

Non licet aduersus Pontificem dare sententiam, respondit:

Sixti Papæ oratio.

Quanquam in meo arbitrio est, iudicer, an non iudicer, tamen, meo iudicio, non abscondatur veritas.

Hoc igitur nomine Synodus Tridentina non debet parum libera & legitima putari.

2. Obiectio soluitur.

Obijciunt secundò aduersarij, hanc Synodum liberam non esse, quoniam quæ ex Germania Tridentum itinera ducunt parum tuta & secura sunt.

Sed ratio hæc captiosa atque mendax omnino est: & quæ à quouis nullo negotio refelli queat: tàm enim sunt itinera pagis, villis, atque opidis frequentia, vt nemo hactenus repertus sit, qui vel pigrum aliquem, & armis omnino vacuum Agasonem, opprimere, aut aggredi ausus sit.

ſit. Si qui verò ſunt, qui omnium minimè timere debeant, ij ſunt proculdubiò Germani, qui neque natione, neque lingua, neque commertio, neque moribus aut vita, à Tridentinis, cæterisq́ populis interiectis diuiduntur: ſed ſcelerum magnitudine oppreſſi, & conſcientia hæretici agitati, quouis loco paratas ſibi inſidias, & caudinas furculas arbitrantur.

Nihil etiam ad libertatem impedit, quod obijciunt hæretici, Tridentum, à Cardinali Madrutio gubernari: præſertim, cum ille vir optimus, & religioſus ſit: & Ferdinandus Imperator verus eius ciuitatis dominus, ne quis ab alio, aut vim, aut detrimentum vllum ferat, ſi ceſſet Madrutius, accuratiſſimè magnoq́ ſtudio prouiderit. ſi qua verò pauidis hæreticis formido ſuboriri poſſet, protinus illam publica fides adimere debuit, ab vniuerſo Concilio Germanis data, publico firmata conſenſu Imperatoris, & Chriſtianorum Principum: de qua, qui dubitant, neque Imperatori, neque Regibus Chriſtianis prorſus fidem habent: non ſine eorum nominis, & honoris iactura, contumelia, atque iniuria: dum ab eis iure gentium firmatam ſecuritatem, non violandam modò ſuſpicantur, ſed aſſerunt etiam.

3. Obiectio. Soluitur.

Madrutius.

Publica fides.

Illud quoq; calumniatores obijciunt, cur Tridentina Synodus libera non ſit, quòd omnes Epiſcopi,

4. Obiectio Soluitur.

ſcopi, qui ad Synodum venerunt, Pontifici Romano ſint addicti. addictos verò eſſe perſuadent multis nominibus. primum quidem, iuramento exhibito dum Epiſcopatibus admouerentur: deinde, quòd à Pontifice Epiſcopatus acceperint: tertiò, quòd eorum bona pars ex Romanis, vt illi loquuntur, Curtiſianis, ſumpta ſit: poſtremò, quòd pleriq; Patres Tridentini Pontificis Romani liberalitate ſubleuentur, qui per ſe, ipſi facere ſumptus non poſſent. hæc enim omnia haud dubiè, aiunt hæretici, facultatem adimunt Epiſcopis liberè iudicandi atque dicendi ſententiam ſuam de his rebus, de quibus eorum conſilium, & ſuffragium in Synodo requiri ſolet, ac debet.

Hæc tamen ratio parum efficax eſt: neque eius vlla pars aduerſus Concilij libertatem momentum habet, quod ego ſine dubio monſtrare poſſum. primum omnium fateor libenter, multis nominibus Tridentinos patres Romano Pontifici addictos eſſe, quod nobis calumniatores dant probro. nã ut id faciant iure optimo cõpelluntur. cum enim ſit Pontifex Romanus omnium Chriſti fidelium pater, paſtor, & rector vniuerſalis Eccleſiæ, caput Chriſtianorum, orbis doctor atque
1 *magiſter, neceſſe quidem eſt, vt omnes Chriſtiani quotquot ſunt, Pontifici ſint addictiſſimi: atque illum perinde revereantur, colantq;, vt patrem*

Epiſcopi iure addicti Pontifici.

trem filij: vt oues, pastorem: vt membra caput: vt discipuli, & auditores, doctorem, atque magistrum suum. quamobrem illo nomine, quòd Episcopi addicti sint Pontifici Romano, non debet Conc. Tridentinum parum liberum atque legitimum putari: cum id facere iure & ratione teneantur.

Præsertim cum nihil omnino quod laude dignum sit, ab illis Episcopis confici possit, qui quocunque modo à Pontifice dissident: quemadmodum, neque membra suo munere, atque officio rectè defungi valent, quæ capiti coniuncta non sunt, & mirabiliter cohærent. 2

Concilium verò, quod monstraui superius, tametsi obiter, & veluti aliud agens, non est aduersus Pontificem conuocatum: neque iure vocari contra optimum, & sanctissimum virum potuit, & qui nihil magis laborat, quàm vt abusus, qui in Ecclesiam sensim irrepserunt, de medio tollantur: sed aduersus hæreses potius, quibus insolentissimi homines, & prauis moribus imbuti, sanam doctrinam infecerunt. vt iam nihil impediat omnino ad veritatem indagandam, & in lucem, atque aspectum hominum reuocandam, Ecclesiæq; disciplinam rectè, magnoq; cum fructu constituendam, patres Tridentinos Pontifici addictos esse: quin imo, quanto arctiori vinculo, & magis coniunctis animis, membra cum Cóci. aduersus quos uocatum sit.

capite

capite copulata fuerint: tanto accuratius fidei & morum agentur negotia. quod cum intelligeret, plurimis, atque arctis beneuolentiæ, liberalitatisq́; nodis patres Tridentinos Pontifex
unde schisma. *Maximus Pius Quartus deuinciendos curauit. neque enim alia ex re schisma in Ecclesia nasci facilius solet, quàm si Prælati Ecclesiæ parum Romano Pontifici, Christi Vicario in terris sint addicti: quod prudenter admodum, uti cætera, Paulus* III. *cuidam Oratori olim respondit: & beatus Cyprianus multò ante admo*
3 lib. 1. *nuit in epist. ad Cornelium Papam.*

Iuramentũ quod exhibẽt Episcopi Põtifici. *Cum autem iuramentum, quod Pontifici Maximo Episcopi exhibent, nobis obijciunt aduersarij, & tanquam nouitium inuentum, aut tyrannidem potius derident, faciunt sine dubio præter rationem. nam cum Pontifici Maximo, tãquam Vicario suo, Christus Iesus abiturus ad patrem, omnes suas oues commiserit, illis verbis, pasce oues meas: pasce agnos meos: ille verò, boni pastoris more, cæteros omnes Episcopos in partem solicitudinis vocet, quibus curam committit priuatarum ouium, quod inter cæteros, accuratissimè exposuit Nicolaus Primus in Epistola ad Michaelem Imperatorem dicens, Ecclesiæ Romanæ, neq; Nicena, neque vlla alia Synodus priuilegium aliquod contulit, quæ in Petro nouerat, eam totius potestatis, iura plenè meruisse:*

ſe: & cunctarum Christi ouium regimen accepiſſe: cum cæteras alias Epiſcopatuum Cathedras inſtituerit Eccleſia Romana, Conſultiſſimè iudicio meo, facit, dum ab illis, illud exigit iuramentum, vt ſummo paſtori obſequantur: ouium diligentem curam gerant, & lupos ab ouili baculo abigant paſtorali. ſed vt intelligant omnes apertè, quo nam iure, atque ratione id fiat, placet ſcrupuloſè referre, quæ de hac re Paſchalis Pontifex ad Archiepiſcopum Panormitanum ſcribit, & habetur in decretalibus de electione, & electi poteſtate, cap. ſignificaſti: adimit enim omnem prorſus ambiguitatem. ſic ergo ait.

Significaſti Reges, & Regni maiores admiratione permotos quòd pallium tibi ab Apocriſariis noſtris tali conditione oblatum fuerit, ſi ſacramentum, quod à nobis ſcriptum detulerunt, exhiberes. mirentur in hac cauſa Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cum ouium ſuarum curam Petro committeret, conditionem poſuit, dicens, ſi diligis me, paſce oues meas. ſi conſcientiarum factor, & cognitor ſecretorum conditione hac uſus eſt, neque ſemel tantum, ſed & ſecundò, & vſque ad contriſtationem, quâ nos ſolicitudine oportet, Eccleſiæ prælationem imponere fratribus, quorum conſcientiam non videmus? aiunt, omne iuſiurandum in Euangelio eſſe prohibitum: neque ab Apoſtolis poſt dominum

num neque in Concilijs inueniri posse statutum: quid est enim, quòd dominus subsequenter ait, quod amplius est, à malo est? hoc enim amplius vt exigamus, malum nos, illo permittente, compellit. non nè malum est ab Ecclesiæ vnitate, & à sedis Apostolicæ obedientia resilire, & contra Canonum statuta prorumpere? quod multi etiã, post sacramentum præstitum, præsumpserunt. hoc nimirum malo ac necessitate compellimur iuramentum pro fide, pro obedientia, pro vnitate requirere. Aiunt, in Concilijs statutum non inueniri; cum omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem & facta sint, & robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas. cum igitur à sede Apostolica vestræ insignia dignitatis exigitis, quæ à beati Petri tantum corpore assumuntur, iustum est, vt vos quoque sedi Apostolicæ subiectionis debitæ signa soluatis, quæ nos cum beato Petro, tanquam membra de membro habere, et Catholici capitis vnitatem seruare declarent. hactenus Paschalis.

I Olim Episcopi non adstringebantur cõprouincialibus.

Ex quibus verbis duo colliguntur aduersus apertos istos hostes veritatis: vnum est, mentiri eosdem cum aiunt, antiquis temporibus Episcopos, non Romano Pontifici, sed potius Episcopis comprouincialibus adstringere se, & obligare solitos esse. nusquam enim huius rei vel tenuè vestigium

gium in Ecclesiæ historijs indicare mihi poterunt: sed duntaxat obligabantur, addicebanturq; Pontifici Romano: exhibito iuramento interdum comprouincialibus Episcopis.

Alterum est, quòd hæc consuetudo exhibendi iuramentum Pontifici, nouitia non est, & tyrannicè excogitata, quod hæretici impudentissimè mentiuntur: sed antiqua potius: nimiumq; vetusta. nam Paschalis, cuius paulò superius testimonium citaui, Ecclesiam rexit anno salutis 819. vt iam octingentis fermè annis ea forma in Ecclesia seruata sit: ne Gregorij Magni tempora commemorem, cum iste mos in Christiana Republica seruabatur. Sic prætereà legimus Can. 10. Conc. Toletani 2. Pontifices omnes, Ecclesiarumq; Rectores, quo tempore ordinādi sunt, sub cautione promittant, vt fidei Catholicæ sincera cordis deuotione mandata custodientes iustè, & piè viuere debeant: atque vt debitum per omnia honorem, & obsequij reuerentiam præeminenti sibi dependant hactenus Concilium, quod celebratū est ante annum ferè millesimum. 2

2 Non est nouitium inuentum iuramentum exhibere Pontifici.

Tyrannicè verò factum minimè potest existimari, quod à summis Pontificibus, & Synodis magnæ auctoritatis postulante ratione, & diuina consentiente lege introductum, atque seruatum est. illud est autem, vt obiter admoneam, quod in hac formula iuramenti hæreticos pessi-

mè habet: et torquet mirabiliter, quòd audiunt, Pontificem Maximum, simul cum reliquis Episcopis conceptis verbis, fide data, & solemniter exhibito iuramento, aduersus hæreses omnes, ipsarumq; auctores conspirasse. quamobrem non stultè modo, sed etiam admodum iniquè Pontifex faceret, si Episcopos suos aliqua ratione solueret iuramento: quod hæretici magnopere contendunt, vt mitiores in se fortasse hostes experiantur: & negligentiores efficiant.

5. Obiectio Soluitur.

Illam etiam rationem commemorant aduersarij cur Concilium liberum non sit, quòd iudices ipsi, præsules inquam, simul cum suo patre, Pontifice Romano, magnorum criminum rei aguntur. nemo autem in sua causa præsumitur verus, & incorruptus iudex: nemo etiam iure actor atque reus esse possit. hæc est rationis summa totius quam conuitijs & maledictis plurimis onerant more suo.

Sed hæc tantundem virium habet, quantum superiores: & est à me huius disputationis initio ad eandem dictum non nihil: monstremus tamen adhuc inanem illam esse: quod, non vno tantum nomine, sed plurimis potius rationibus planè, atque apertè conuinci, nullo negotio possit.

Primum verò concedamus, si lubet, Episcopos omnes, quotquot Tridenti adsunt, peccatis aliquot esse obnoxios: vt enim ille ait,

Vitijs nemo sine nascitur. & Lyricus Poeta. Iliacos intra muros peccatur, & extra.

Tametsi plurimi viri boni in Conc. Trident. reperiãtur, quos numerare facile possem, insigni quadam pietate, et sanctimonia præditi, benigni, & liberales in pauperes, omni genere virtutis instructi, denique cultores strenui officij Episcopalis: qui, vt spero, non minoris pretij erunt futuris temporibus; cum ab inuidia liberi, atque expediti fuerint, quàm nos modo illos habemus, qui in Nicena Synodo, aut alia quauis ex vetustis olim floruerunt. virtutem enim, vt est in prouerbio, præsentem odimus. hæc sanè causa non est, cur illis, facultatem cõueniendi in Synodum, & dicendi de fide, & moribus sententiam adimere debeamus, ad quos de iure istarum rerum iudicium pertinet. præsertim, cum sciamus eam perpetuò hæreticorum consuetudinem, moremq́; fuisse, vt coacta semel Synodo præsules exciperẽt, & ab eis, tanquam reis apertorum, & magnorum criminum, veritatisq́; hostibus appellarent, quod attigi superius: nusquã tamen hæc forma iudicij immutata est, licet vehementer hæretici reclamarent, atque illam impedire pro viribus conarẽtur. initio celeberrimi, ac sanctissimi Concilij Niceni, quod eorum temporum testantur historiæ, patres ferè omnes, qui conuenerant Nicæam, non ab hæreticis modo accusabantur, sed

Hæreticorũ mos est appellare, & carpere iudices.

partim etiam sparsis infamibus libellis, partim porrectis Constantino Magno Imperatori, ipsi se inuicem proscindebant. sed nihil id impedimento fuit, quò minus illi de rebus Ecclesiæ iudicarent: & eius Concilij decreta summo in pretio, vt par est, perpetuò haberentur. Neque mirari quispiam debet, homines peccatis obnoxios, & coinquinatos esse: humanum id est, atque ab orbis initio receptum. hanc nobis hæreditatem reliquit primus ille parens omnium, qui quo tempore omni beneficiorum, & gratiarum genere cumulatus erat, dæmoni, ad peccatum solicitanti consensit. cumq́; duo tantum in terris fratres agerent, alter alterum interemit. interemit etiã, quantum in se fuit, auctorem vitæ redemptoremq́; Iesum, is qui cum eo aliquot annos, cœlesti magisterio imbutus, familiariter vixerat. omnes declinauerunt, repetit Paulus, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. si dixerimus, clamat alta voce Iacobus, quòd peccatum non habemus nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est.

Hactenus præstiterũt quod poterant Pontifices iudicio hæreticorum.

Et sanè cum superioribus temporibus Pontifices Maximi, quod hoc loco fatentur aduersarij, eos qui in Ecclesiam Christi sensim irrepserant abusus, & agnouerint, et corrigere laborarint, bullis editis, conscriptisq́; varijs reformandi formulis, reprahendi iure non debent, cum id quod

in

in se positum erat præstiterint. quòd autem non perinde res successerit, atque illi cuperent, sperabantq́;, humanæ potius malitiæ, quàm aut socordiæ, aut negligentiæ Pontificum tribuendum esse censeo. fortasse verò quæ sunt alij pedetentim aggressi, Pius Quartus sanctissimus Pontifex strenuissimè conficiet, huius sanctæ Synodi Tridentinæ adiutus ope. quod ego haud dubiè futurum confido. præter rationem igitur hæretici faciunt, dum volunt, propter peccata quorundam, Episcopis omnibus diuino iure cõcessam copiam adimere tenendi Concilium, ac de rebus fidei iudicandi: præsertim cum sint ipsi multò grauioribus criminibus obnoxij: & carere debeat omni vitio, qui in alterum dicere paratus est. ne, illud Pauli, meritò ei obijci possit, qui alios doces, teipsum non doces? qui prædicas non furandum furaris, qui dicis non mechandũ mecharis, qui abominaris idola, sacrilegium facis. vt enim cætera hæreticorum huius ætatis scelera, & flagitia prætermittam, quæ numerari sine fastidio lectoris non possunt, & sunt à multis fide dignissimis scriptoribus in historiã relata, quis ignorare queat horum Patriarcham Martinum, deinde cæteros omnes, qui impium & sacrilegum istum doctorem sunt consequuti, dum iracundiæ, atque indignationi obsequuntur, Auram popularem capiant, dum eruditionis atq; eloquentiæ am-

Ad Ro. ca. 2

maximis flagitijs cooperti.

biunt nomen, denique, dum student haberi aliquo loco, cœlum terræ miscere non dubitasse? neque mirum est sic viuant, qui vulgi auribus doctrinam instillant terrenam, animalem, & dæmoniacam, vt Paulus ait. videlicet, non ad opera iuncta fidei, sed ad fidem duntaxat vim iustificandi pertinere: si fides adsit, nullis peccatis hominem damnari: omnia scelera momento absumi: contritionem, confessionem peccatorum castigationemq́; corporis, non esse modò inania, sed etiam efficere hominem infeliciorem: operum pompas, nihili faciendas esse: humanas traditiones, & maiorum in Ecclesia leges, atque instituta viuendi, conculcanda: necessitate compulsos, non voluntate, nos facere omnia: cœlibatum sacerdotum esse abrogandum: tollenda monastica vota: ieiunia & ciborum delectum, obesse potius quàm prosint. atque alia insuper multa, quæ libidinem viuendi laxant, ab obedientia Principum retrahunt, & bestiam ex homine faciunt.

Doctrina hæreticorũ nostri temporis.

Illud verò inter viros bonos, & aduersarios nostros interest, quòd cum illi tetris, abominandisq́; flagitijs toti coinquinati & cooperti sint, innocentiam nihilominus suam orbi terrarum iactant, magnis clamoribus prædicant, celebrantq́;. viri autem boni, quales Pontifices proculdubio sumus, cum sint humano more, vitijs aliquot infecti, agnoscunt peccata, & cum sup

plicio dignissimos arbitrentur: culpam, quacunque ratione possunt, deprecantur: & tū suis, tum etiam sanctorum precibus diuinam clemētiam implorant.

Obijciunt etiam nusquam fuisse liberum Concilium Tridentinum, quoniam mox initio constitutæ actionis, contra alteram partem, Lutheranos videlicet, eorumq; Ecclesias, atrox bellum motum est. 6. Obiectio. Soluitur.

Hæc tamen calumnia, nulla prorsus nititur ratione: nam licet initio Synodi, bellum aduersus Lutheranos à Carolo V. Imperatore inuictissimo, atq; admodum religioso, excitatum sit, non eo quidem nomine in eos instructum est, quòd hæretici essent: sed potius quòd res nouas molirentur: aduersus Cæsarem arma caperent: periculosos tumultus, ac seditiones in Germania mouerent: pellerent suis sedibus alios: cursum Concilij impedirent: omnia denique confunderent, perturbarentq;. hanc ego sententiam eisdem omnino testimonijs conuincam, quibus contra Principes Christianos hoc loco hæretici agunt: vt intelligāt omnes quàm sint aduersarij mendaces, inepti, & iudicij nullius, qui arma etiā nobis suppeditent, quibus superentur. Quo titulo mouit bellum in Lutheranos Carolus V.

Primum hoc docemur protestatione Cesareæ maiestatis, quam citant aduersarij. nam post illa verba, magna impensa, magno labore inchoa- Protestatio Caroli V.

tum est, petitum ab omnibus Christianis Concilium, & causa religionis & reformationis morum in eo tractari cœpta. sequitur, eodem quoq; tempore bellum Imperator gerebat. sed aduersus quos inquit? aduersus hostes, & sacri Imperij violatores. hostes verò Cæsaris Orator eos appellat, qui Rempub. perturbant, atque aduersus suos Principes arma mouent. violatores autem sacri Imperij, qui fidei datæ Imperatori, & iuramento exhibito reluctantur: & ab obedientia resiliunt. contra hos, inquit Mendoza, ab Imperatore Carolo V. bellum tunc temporis cœptum esse: atque ea causa, quam dixi: nō quòd illi essent hæretici, quod aiunt aduersarij.

1 hæretici hostes Cæsaris.

2 Violatores Imperij.

3 *Illo præterea nomine bellum à Cæsare eo tempore excitatum est in Germanos, vt via ad Concilium cogendum, tenendumq́; aperiretur: quam vestra iniquitas, aut impietas potius armata præcluserat. quod ex verbis responsi dati à Pontifice Cæsaris Oratori planè colligi possit: quod vos etiam memoratis. Ita enim Pontifex ait, euol uite vestra scripta diligenter. nulli Principi me socium belli adiunxi: præterquam ipsi Cæsari. docet, quo tēpore, in eo. s. bello, quod videbatur maximè viam munire celebrando Concilio. quemadmodum autem hijs qui impedimento sunt, quò minus Ethnicis, atque infidelibus Euangelium prædicetur, aut rectum Euangelij cursum impediunt*

diunt bello à nobis, si vires suppetant à proposito dimoueri possunt, ita quoq; qui rationem & normam à Christo in Ecclesia relictam damnandi hæreses, & reducendi hæreticos homines, impedire student, omni vi cogi, & castigari debent.

Illa præterea causa castigari armis tunc temporis hæretici iure potuerunt: quòd, cum multum, diuq;, Concilium, Concilium proclamassent, cum vrgerent vehementer vt cogeretur, cum ad illud semper prouocarent, neque de suis dogmatibus alibi, quàm in œcumenico Concilio deliberari, aut tractari aliqua ratione paterentur, quo tempore eis oblatum est, conuocatum, atque cœptum, non modo Tridentum venire recusauerunt, sed tunc maximè, Pontificem Maximum, omnes Episcopos, atque etiam totam ipsam Synodum, libris contumeliosè editis, seditionis, & maledictorum plenis insectabantur, & proscindebant: quod Epist. Pontificis docet ad Episcopos Germaniæ, quàm aduersarij cæci omnino, & ignari veritatis citant in præsentia. ita enim ait. 4

Protestantes vsque adeò huius Concilij auctoritatem contempserunt, vt cum Tridenti ferè ad biennium Episcopi manserint, non modo ad illud accedere recusauerint, sed publicis concionibus, & libris contumeliosissimis editis palam prædicare ausi sint, nequaquã illud liberum &

Christianum esse Concilium: eiusq; decreta, se esse repudiaturos, renunciauerint: idq; incredibili sanè, & inaudita verborum petulantia, propterea quòd ex auctoritate nostra illud indictum esset: & ex Ecclesiarum Episcopis congregatum. subiungit: quæ quidem eorum pertinacia causam & necessitatem eidem Carolo Imperatori, & nobis attulit, ineundi inter nos sanctissimi fœderis. addit, vt illos, quando iuris ratio, & leuia remedia nihil proficiebant, armis ad sanitatem redire cogeremus.

Non cœpit Conc ab executione.

Neque id est vllo modo ab executione inchoare, quod tantopere iactant aduersarij, inculcantq;: sed naturali, diuina, et humana ratione postulante, atque cogente ita factum est. ac nisi serio resipueritis, illud vos etiam supplicium & seuerissima castigatio iure manet, vt tandem à Christianis Principibus, ad Ecclesiã armis trahamini, à qua impiè recessistis. etsi nulla alia causa superesset, illa vna satis esse posset, ne vos alios vestris erroribus atque impietate perdatis: quod vos ipsi minimè repugnantes fatemini, cum dicitis, hoc genus animaduersionis & supplicij ad executionem Concilij pertinere.

5 *Quanquam ea quoque causa, quod hæretici essent, & Catholicam Ecclesiam deseruissent, iure optimo castigari, & domari bello poterant: primum quidem quoniam post secundam, &*

Hæretici castigari possunt, quòd sint hæretici.

tertiam

tertiam admonitionem (quam rationem vocandi rebelles seruat Ecclesia) non vnus, aut alter, sed quattuor potius Romani Pontifices, Martinum Lutherum, eius doctrinam, & doctrinæ studiosos, quo tempore bellum excitatum est à Cæsare, excommunicauerant iam, denunciauerant, & proscripserant. Leo Decimus, Adrianus, Clemens VII. *Paulus* III.

Et si nihil simile sanctissimi Pontifices aduersus hæreticos nostri temporis decreuissent, satis mouere potuit Christianissimum Imperatorem, vt contra eos arma caperet, quòd veteres hæreses, damnatas in antiquis Synodis atque ex medijs tenebris excitatas, erutasq́;, mordicus illi defenderent, & docerent alios. quod, ne ipsi quidem inficiari aduersarij veriti sunt, cum causam Vuiclefi, Joannis Vssi, & Hieronymi Pragensis, quos damnauit Synodus Constantiensis, nulla tardati verecundia, aduersus planam atque apertam veritatem agant, non modo Protestantes in hoc libro, sed Fabritius quoque Montanus in illa sua Oratione contra Synodum Tridentinam confecta: atque illo prior Vergerius, impiissimus homo turpissimusq́; in suis scriptis aduersus Concilium. vt enim ex Gelasio, & Achatio sanctissimis Pontificibus constat, & habetur 24. quæst. 1. aut vnanimi potius totius Ecclesiæ consensu, non est opus noua damnatione is, 6

Gelasius Papa.
Achatius.

qui

qui in errorem alias condemnatum inciderunt.

7\. Obiectio. *Reprehendunt etiam Protestantes clarissimum omni genere virtutis Imperatorem Carolum V. quod, interim, conscribi fecerit, hæreticisq; concesserit, dum Concilium celebrandi tempus, a bellorum tumultu liberum atque exemptum suppeteret: & quod clementiæ ac benignitati Cæsaris dandũ erat, id aduersarij, more suo, minis, ac vi illatæ, tribuunt. quasi verò tunc Cæsar, iure cum hæreticis Germanis agere non posset, vt interim, dum Ecclesia Catholica in œcumenica Synodo rem illam diffiniret, de qua publica controuersia agitabatur, Ecclesiæ Romanæ vetustam disciplinam, atque fidem, nulla in mutatione facta sectarentur: ac si eius aspernarentur, non posset ille, nullo aut facili negotio, potentia, atque armis, quibus benè instructus & munitus erat, in antiquo, eosdem officio retinere. sed clementissimus, atque optimus Imperator, ne quà ratione Germanos exasperaret, sed benignitate potius & mansuetudine prouocaret ad religionem, passus est, vt interim, dum celebraretur Synodus, pleraq; illi tenerent noua: modo interim, nihil innouarent. illi verò accepta conditione, non solum fidem datam seruare sartam tectam minime voluerunt, quam interposito iureiurando Cæsari adstrinxerant, sed veluti furijs quibusdam atrocissimis agitati, tũc*

Carolus V. à calumnia defenditur.

maxi-

maximè errorem, errore: hæreſim, hæreſi: tumultum, tumultu: ſeditionem denique longè alia grauiori & magis periculoſa ſeditione cumulauerunt. donec tandem collectis copijs vndiq; potentiores effecti iniuſtiſſimè arma aduerſus Imperatorem, ac Principes ſuos, peſtilentiſſimi homines arriperent. verum eſt enim quod Auguſtinus teſtatur, hæreticos initio vulpes eſſe, quoniam cum viribus poſſint parum, arte, calliditate, fraudibus, atq; dolis plurimum vtuntur, armis verò potentes effecti, Leonibus eſſe ſimiles omnino. qui vti vnguibus Leones, vi, & armis omnia tentent, aggrediantur, pulſent, diripiant, atque diſcerpant. vtinam ſanctiſſimus Imperator, quem vos tantopere hoc nomine reprehenditis, quod vobis, religioni, & fidei vim intulerit, non tàm clemens ac benignus erga vos extitiſſet, non dubium eſt quin furor iſte veſter, non tam longè, quàm cernimus, proceſſiſſet: neque vobis tempus ſupereſſet, de Cæſare, quod facitis, immeritò conquerendi.

Hæretici, initio Vulpes, deinde Leones.

Poſtremò, illud hæretici memorant cur Synodus Tridentina libera non ſit, quoniam ſummus Pontifex, omnibus Christianis prohibuit, libros hæreticorum attingere: quod eſt, inquiũt, viam præcludere, ad rectè atque incorrruptè de fide, doctrina, & moribus hæreticorum iudicandum.

8. Obiectio Soluitur.

Hæc

Hæc tamen ratio superiorum non absimilis esse videtur: neque enim ex ea quidpiam colligitur contra nos: nihil enim Pontifex potuit eo tempore commodius atque vtilius orbi terrarum præstare, quàm si Christianos homines ab hæreticorum libris arceret. neq; enim aliunde maiora in Christianam Rempublicam mala & ad sinceram doctrinam euertendam potentius, quàm ex istorum librorum lectione venenum est, qui, vt simpliciores, & rudiores veritatis magis alliciantur, eloquentia procurata, & fucata magna ex parte, hactenus sunt conditi vt hoc, veluti hamo, incauti lectores capiantur, opprimanturq;. ex huiusmodi librorum lectione, quæ & quanta incommoda nascantur, multæ præclarissimæ prouinciæ testari poterunt, quæ hoc veluti toxico penè interierunt. Germaniam dico, Angliam, Poloniam, Daniam, Galliam. atque vtinam ab hoc malo libera omnino atque exempta Italia esset, fortasse Germani Vergerium, Ochinum, Petrum Martyrem, Ioannem Baptistam, Stancar, atque alios his similes non habuissent, qui Ecclesiam Romanam non leuiter afflixerunt.

Rectè prohibētur libri hæreticorum.

Contrà verò Hispania testari queat; quæ ex hac librorum prohibitione commoda sit consequuta: in qua quidem, nisi lectioni horum librorum diligentissime, accuratissimeq; obuiam itum esset, fortasse non haberet modò causam, cur de religio-

Hispania.

ne

ne gloriari tantopere posset, qui enim in eàdem proximis his annis hæretici agniti ac depreben si sunt (& non potest diu quispiam latere) non tàm publicis concionibus, aut priuatis colloquijs venenum hæreseos sparserunt, quam libris, quos simplicioribus hominibus, nullo pretio, imo verò, inuitis & reluctantibus obtrudebant. senserunt hæretici, quantum sua res his artibus procederet: senserunt etiam hoc malum sagacissimi iudices, vindicandis his scelcribus summo Dei beneficio, in Hispania dati, quos, inquisitores hæreticæ prauitatis vocamus. & quanquam nusquam non diligenter huius rei curam, & rationem habuerint, tunc temporis maximè occurrẽdum tam ancipiti malo putauerunt: prohibitis primum libris, deinde summo studio perquisitis, qui illos attingerent aut haberent demi: re bene inspecta, et communicata prius cum Pontifice Maximo, qui legem de ea re seuerissimam, sed plurimum quidem in Christiana Republica necessariam tulit: & priuilegia concessa non nullis ademit: quæ potius damno quàm vsui intellexerat fuisse. vni inquisitores copiam habent apud nos saltem, huiusmodi libros attingendi, qui cum sint uiri in omni genere artium clari, maximè uerò disciplinæ Ecclesiasticæ periti, tum ipsi per se, tum etiã per alios, & bonos, & doctos uiros id genus libros excutiunt diligenter: de eisdem

dem iudicium ferunt: & cum res postulare uidetur impugnandos, & confutandos uiris doctissimis præbent: dum grauioribus alijs negotijs occupatis, integrum non est, in eisdem confutandis, & refellendis uersari. hoc illud est, quod Iulius III. Pontifex Max. in sua de hac re bulla significat, cum ait.

Cũ diuersi effectus quàm sperabantur, sequuti sint ex hac concessione, legendi inquam libros ab hæreticis editos, omnes concessiones reuocamus, atque annullamus.

In Concilio uerò quibusuis doctis hominibus, modò illam petant, libera sit à legatis facultas, hæreticorum scripta euoluendi. explorandi, atque expẽdendi rationes quibus vtuntur: et in publicum illas producendi, cum est de quacunque cõtrouersia disserendum. hoc est enim quod Can. 16. Conc. Carthag. 4. est definitum, his uerbis.

Episcopus gentilium libros non legat: hæreticorum autem pro necessitate & tempore.

Semper uetitum est libros hæreticorum attingere.

Quo sane Canone vt constat, etiam Episcopis copia eripitur, libros legendi hæreticorum, nisi loci necessitas postulauerit, quod accidit cum aduersus hæreses Concilium celebratur: quas cognitis, atque expensis aduersariorum argumentis redargui oportet. & pro tempore, hoc est, cum est aduersus hæreticos scripto dimicandum.

Nulla igitur causa est cur hæretici Protestan

tes

tes doleant, & grauiter ferant, libros suos à Catholicis hominibus non attingi. attinguntur.n. ab his, à quibus, quando, & quomodo attingi debent. doleant, uiam esse præclusam sibi, quam negligentia quorundam latissimam aperuerat, vt rudibus, atque simplicibus hominibus imponerent. Neque sine exemplo, vt rationem prætermittam, id agunt Pontifices. ab Apostolis erudiuntur, qui cap. 59. eius Concilij, quod Hierosolymis tenuerunt, sic statuunt.

Si quis falsò inscriptos impiorum libros in Ecclesia, ad populi, & cleri corruptionem publicauerit, deponitor.

Olim etenim hæretici libros suos quibus hæreses continerentur, titulo Catholicorum circunferebant, quod faciunt etiam hoc tempore eorum pleriq;, vt inscriptione illectos, in sua retia Christianos homines trahant.

Libros Arrij non modò legi prohibuit Constantinus Imperator post Pontificem Romanum, quod Socrates narrat, sed igni etiam comburi iussit. Augustinus in Ioannem scribit, libros Mathematicorum & hæreticorum publice suo tempore fuisse combustos. combussit Gelasius Papa, anno 496. Neque mirabitur quispiam qui norit ab ipsis etiam Apostolis libros illos qui curiosam doctrinam cõtinerent, igni absumptos esse. sic enim scribit Lucas Act. 15. cap. Ca. 13. hist. Eccl.

multi

multi ex eis qui fuerant curiosa sectati contulerunt libros & combusserunt eos coràm omnibus: & computatis pretiys illorum inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. quòd si Cyprianus ad Bonifacium scribens prohibet cum hæreticis loqui: imo etiam Paulus iubet, ne, cum his hominibus, uel cibum capiamus, cur non ab eorum libris viri boni arcebuntur? quamobrem in omnibus ferè vetustis atque œcumenicis Synodis post exploratam, cognitã, conuictam, & damnatam hæresim, quod historiæ Synodorum planè nos docent, non modo auctores hæresis damnati, & proscripti sunt, sed eorum quoque libri prohibiti, & qui reperirentur, in ignem coniecti sunt.

At, dicitis, nostri nondum peracta Synodo condemnantur: atque indicta causa.

Verum idest, si Synodum velitis dicere Tridentinam: sed multò antequàm Synodus cogeretur, scripta vestra Pontifices damnauerunt: quod ab eis, eodem omnino iure, quo hæretici, librorum auctores, damnari potuerunt: ne latius cancer legendo serperet: & incautos corriperet. quanquam cum sint hæreses horum temporum veteres omnes, & in vetustis, quod aiebam, Concilijs damnatæ, atque explosæ qui illam doctrinam libri complectuntur, non neoterici, sed vetusti potius censeri debent.

DISPV-

DISPVTATIO QVINTA.

VTRVM TRIDENTINA Synodus generalis sit.

IPSA etiam scribendi ratio postulat, ut illam quoque quæstionẽ excutiamus, examinemusque, utrum Synodus Tridentina generalis sit; nam aduersarij nostri generalem esse negant. ego tamen, ne lectorem longis ambagibus morer, paucis sic statuo.

Concilium Tridentinum re uera est generale, atque œcumenicum.

Quattuor legimus genera Conciliorũ: unum Episcopi cum suis Presbyteris, quod Diocœsanum uulgò appellant. alterum Metropolitæ cum suis Episcopis, quod dicitur prouinciale. tertium Patriarchæ, cum Metropolitis. quartum est totius orbis Christiani. tertium illud, uniuersale, atque plenarium uocari solet: non simpliciter tamen; sed totius Patriarchiæ: quod docemur cap. 7. Cõcilij Carthag. 3. & cap. 61. Conc. Africani. postremum vero œcumenicum appellant,

Concilium Tridentinũ est œcumenicum.

Quattuor genera Conc.

K *sicut*

sicut autem primum illud Conc. Episcopus cogere solebat, qui ciuitati Præfectus est: secundum, Metropolita, qui prouinciæ: tertium Patriarcha, qui Metropolitis, ita postremum solus Pontifex Romanus indicere & tenere poterat. hæc est enim regula Ecclesiastica, inquit Socrates, cap. 9. lib. 4. historiæ Tripartitæ, vt œcumenicum Concilium sine summo Pōtifice haberi non possit. fit tamen interdum, vt pro œcumenico, quod est orbis totius Concilium generale, aut vniuersale vsurpemus: quod facimus in præsentia dum dicimus, Synodum Tridentinam esse generalem, vniuersalemque.

Quare constet Conc. œcumenicum.

Vt autem Concilium œcumenicum sit, non tam interest, quo numero Episcoporum constet, paucissimis enim effici potest, exemplo Hierosolymitani, in quo quattuor tantū ex Apostolis interfuerunt, quā rem latius persequuti sumus in Apologia aduersus Montanum, quam vt ab eo indicatur, cogatur, & celebretur; qui œcumenicus doctor; pastor & rector est: cuiusmodi esse Pontificem Romanum (tametsi obiter) superius monstratum est. atq; vt in eo negotia tractentur, quæ ad vniuersam Christianam Rempublicam pertinent: fidei dogmata intelligo, quæ omnibus credenda proponuntur. generalem præterea disciplinam morum, quæ omnibus Christianis hominibus obseruari debet: horum enim duorum, in

omnibus

omnibus œcumenicis Synodis, tum Græcis, tum etiam Latinis semper ratio habita est.

Hinc fit, vt decreta Diocœsani Concilij, prouincialis, & Metropolitani, nō habeant vim obligandi totum orbem Christianum. quoniam neque concilia, quæ dixi, facultatem habent decernendi, quæ totum orbem Christianum decent, nisi à Pontifice Romano probentur, atque ille, vt ab omnibus obseruentur, edicto suo caueat.

Deinde, quoniam istarum, quas diximus, rerum definitio, ad Episcopos toto orbe terrarum dispersos iure pertinet, oportet Concilij indictionem Pontifex Episcopis omnibus renunciet, nisi quid obstiterit quo minus id cōmodè fieri queat; vt illi ad Concilium veniant, aut legitimè impediti, procuratores mittant, qui personam Episcoporum in Concilio gerant: rebus, quæ definiuntur præsentes intersint; atq; absoluta Synodo ad Episcopos suos ferant. vt iuxta decreta Synodi populum sibi à Pontifice commissum doceant, instituantq;. Hæc, quæ commemoraui, cum in hac Sacrosancta Synodo, omnia sint obseruata, nemo, nisi qui mentis, & iudicij sit inops, aut qui dare uelit, quod aiunt (sine mente sonum) negare iure possit, eam ab initio, œcumenicam, & totius Christiani orbis Synodum fuisse. principio enim illam indixit, Paulus III. Pontifex Max. deinde Iulius III. postremo, Pius IIII.

& ad constituendam Christianæ Reipublicæ disciplinam, damnandasq; hæreses Lutheranorum indicta, & coacta est. renunciata est etiam orbi terrarum: quod ex bullis indictionis, & Concilij monumentis, atque actis à Paulo III. ad Pium Quartum planè constat.

Sed expendamus iam momenta rationum, quibus hæretici in hoc libro nituntur.

1. Obiectio aduersariorum. Primum argumentantur: non sunt in hac Synodo Episcopi ex toto orbe terrarum collecti: sed duntaxat ex locis quibusdam: & pro Papæ libidine: ergo non est generalis, & œcumenica.

Soluitur. Verum hæc ratio omnino falsa est: atque in odium Pontificis ab hæreticis excogitata. quid est enim tàm validum, atque potens ad exacerbandum animos Catholicorum aduersus Pontificem, quàm quòd ille paucos tantum patres: atque eos, quos putaret sibi maximè obnoxios, addictosq;, ad Synodum vocasset: quæ credendi, & viuendi leges orbi Christiano datura esset? ad quam iure, & antiquis Ecclesiæ legibus, consuetudineq;, perpetuò vsu confirmata, præsules omnes admitti debent?

Est autem mendax ratio duplici nomine: tum quia in ea asseritur ex quibusdam tantum locis Episcopos assumptos & ascitos esse. tum etiam, quia pro Papæ libidine admonitos et vocatos eos esse. Posteriorem sententiæ partem, impudentissimum

simum esse mendacium bulla indictionis apertè declarat. communis etenim omnium est. & qui Tridenti adsunt, argumento esse possunt, in omnibus prouinciis, in quibus religionis et fidei vestigia supersunt, indictionem Synodi fuisse inuulgatam: & vocatos Episcopos omnes, etiam Episcopos Germanos. imo verò Germaniæ Principes, qui hæreticis fauent, & eorũ ministros, ipsi quoque aduersarij nostri vocatos fuisse à Pontifice Romano, paulò inferius narrant. qua autem ratione potuisset Pontifex pro sui animi libidine designare tot Episcopos Hispanos? tot Gallos? tot Polonos? tot Lusitanos? tot Flandros? tot Siculos tot Sardos? tot Hibernos? tot Ungaros, & Germanos? tot deniq; Italos? sed nouum non est hæreticos homines mentiri, qui victoriæ spem in mendaciis maximè posuerunt.

Non minus etiam falsum est, illud alterum quod accipiunt: non esse Tridenti, ex toto orbe terrarum coadunatos Episcopos. tametsi enim aduersariis largiamur, non interesse huic sanctæ Synodo Catholicos Episcopos omnes. id enim fieri nequaquam potest, neque accidit vsquam, cum alij aduersa valetudine detineantur: alij ouibus metuentes, neque gregem deserere, neque ab ouili suo abesse audent: ne (quod accidit absente pastore) à lupis dilanientur: distringuntur alij negotiis Ecclesiarum suarum, publicis curis alij:

inficiari profectò nemo possit, ex toto orbe Christiano adesse Tridenti patres. neq; tàm exiguo numero, quàm impudentissimi hæretici testantur. quanquam (vt admonui paulò antè) non est vllo pacto numerus patrum necessarius, vt Concilium œcumenicum censeatur: quod ille etiam, quem vos toties citare soletis, Nicolaus Cusanus affirmat cap. 30. lib. 2. de concordia Ecclesiæ: & citantur à vobis eius verba in hanc sententiam, quo loco de praxi, aut norma procedendi in Concilio, agitur. adsunt enim Hispani ferè triginta: totidem ferè Galli, atque inter hos Cardinalis à Lothoringia, Lusitani, Germani, Hiberni, Angli, Siculi, Sardi, Flandri, Heluetij, Poloni, Vngari, Bohemi, Itali. adsunt sex Cardinales: quattuor legati, vnus, vt dixi, Gallus: Germanus, alter: Patriarchæ, tres: Archiepiscopi, triginta duo: Episcopi, ducenti viginti octo: Abbates, quinque: Generales ordinum ministri, septem: Episcoporum procuratores, plurimi.

Numerus Episcoporum, qui in Conc. adfuerunt.

Iam verò nullus ferè est toto orbe Christiano Princeps sæcularis, qui ad hanc sacrosanctam Synodum Oratorem suum non destinarit. adest Orator Ferdinandi Imperatoris, Philippi Regis Catholici, Regis Galliarum, Regis Vngariæ, Bohemiæ, Lusitaniæ, Poloniæ, ducis Sabaudiæ, Bauariæ, Florentiæ, Heluetiorum, dominij Venetorum

Principum Oratores.

torum: equitũ militiæ Hierosolymitanæ, Reginæ Scotiæ Cardinalis Lothoringus in Cõcilio partes agit. atq; ij omnes prudentia, & rerum gestarũ gloria clari. vt enim interim cæteros missos faciam, profectò Claudius Fernandez Quinnones Lunæ Comes Philippi Hispaniarum Regis potentissimi, & Catholici maximè Orator, unus, multorum instar esse possit, qui ad antiquam illam nobilitatem, quam à maioribus suis in omni re præstantissimis hominibus, per successionem accepit, magno studio, strenua diligentia, industriaq; mirabili, maximarum artium notitiam, summam peritiam rerum; quam ille maximis, difficillimisq; negotijs præfectus, longo usu comparauit, omne deniq; genus uirtutis, præsertim uerò pietatis & religionis, adiecit. quarũ ille uirtutum Tridenti, quasi in publico totius Christiani orbis theatro, illustrissimum specimen, atq; exemplum præbuit. ac nisi immatura morte nobis, qui illo indigni eramus, ereptus fuisset, proculdubio haberet Hispania, quem meritò cæteris nationibus posset opponere. vt iam turpiter mentiri videamus hæreticos dum aiunt; paucos Hispanos adesse: paucissimos Gallos, Polonos, & Anglos, nullos omnino. ergo cum ex toto orbe Christiano Episcopi vocati sint, atque in Synodo adsint, quod ex copia ea Episcoporum, quæ mandata typis, uulgò circumfertur, non obscurè Comes Lunæ.

patere possit, præter rationem, aut inepte potius faciunt aduersarij, dum Tridentinam Synodum, neque œcumenicam esse, neque generalem ferunt.

Cætera vetusta Concilia, Nicenum videlicet Ephesinum, Constantinopolitana, & Calcedonense, non continuerunt omnes Episcopos quotquot erãt eo tempore: imo neque ex toto orbe terrarum collectis Episcopis, & paucioribus quàm adsint Tridenti, constiterunt: nihilominus tamen citra vllam controuersiam œcumenicorum nomen, definitionem, & auctoritatem adepta sunt. quemadmodum verò Athanasius asseruit, totum Christianum orbem in Conc. Nicenum coiuisse, in quo 319. Episcopi adfuerunt, quoniam illud Conc. vniuersalem Ecclesiam representabat, & exhibebat, ita quoque de Tridentina Synodo nobis censendum est.

Rursum, sicut Magnus Leo inquit, Canones Concilij Niceni à totius mundi Episcopis esse confectos, quoniam tametsi 319. duntaxat corpore adessent, cæteri omnes cum illis erant spiritu congregati, ita quoque affirmare oportet, Canones Synodi Tridentinæ, à totius mundi Episcopis conditos esse, qui simul cum his, spiritu in Concilio adsunt, quod exhibet vniuersalem Ecclesiam. cæteri nanque omnes, qui legitima causa impediuntur, ne condendis decretis intersint,

con-

condere, se illa spiritu, iure possunt asserere. sicut Paulus ad Corinth. de illo fornicatore disserens, inquit, Ego autem absens corpore, sed spiritu præsens, iam iudicaui vt præsens eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu Christi, tradere hunc hominẽ Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat, in die Domini nostri Iesu Christi. quis enim neget, Abdysu Assiriorum Patriarcham, qui proximo superiore anno, cum Concilium cogi inciperet, Romam venit, vt sanctissimum Pontificem inuiseret: & ad eius genua prouolutus obedientiæ signa præstaret, cum iurarit, statuta se, atque decreta omnia sacrosancti huius Concilij Tridentini suscepturum, seruaturum, docturumq́; alios, tametsi corpore absit, quoniam mente atque spiritu adest, Synodo sacrosanctę interesse? superiore igitur ratione aduersariorum, nihil prorsus effici censendum est. Cap. 5. ad Corinth.

Quod verò ridentes, aiunt aduersarij, eà vna causa putari atque dici posse Synodum Tridentinam, vniuersalem, quòd in ea existant ex Africa, Græcia, & Asia Episcopi quidam, nomine tantum, quos personatos appellant, ob eam solum rem à Pontifice creati, vt Tridentum destinarentur, summa impudentia est. nõ inficiamur esse aliquot, licet pauci admodum illi sint, qui

titu-

titulum habent earum Ecclesiarum, quæ sunt ab hostibus fidei, & religionis occupatæ: sed non in eum vsum, quem iactant, creati sunt: neque quispiam est tam ineptus, vt eorum causa, œcumenicam esse hanc Synodum existimet: cum suppetant multæ aliæ, quas attigimus superius, cur hac ipsa appellatione dignam putemus. verum illud silentio prætermittere neque possum, ne- Episcopi titulares. *que debeo, id genus Episcopos, quos titulares vulgò appellant, quoniam titulum Ecclesiarum habent, administrationem non habent, non esse nouitium inuentum, quod hæretici testantur, sed potius antiquitatis exemplo fieri: quod ex Eusebij, & Nicephori historijs, non obscurè constat: Clemens enim à Petro, Romanus Episcopus creatus est, qui non prius Ecclesiam regit, quàm eo munere Linus et Cletus defuncti essent. neque sine magna ratione interdum creantur, vt alios, qui vel morbo, vel negotijs, vel ætate confecti sunt, adiuuent: & Ecclesiis, ab infidelibus recuperatis. Episcopi suppetant. qui, si eam mentem eis inspiraret Deus, vt Ecclesias, quarum Episcopi appellantur, adirent, Euangelium, prædicaturi, id facerent ex officio: similiterq́, reliqua munia Episcoporum exequi, atque exercere possent. nam tametsi Ecclesias illi habeãt occupatas, reuera, perinde atque cæteri veri Episcopi sunt, & presbyteris ordine præstantiores, facultateq́;*

tateq́; sunt præditi ordinandi, & confirmandi. his igitur, more cæterorum, propter eam, quam diximus, rationem, aditus ad Concilium patet, & ad suffragia ferenda iure admittuntur.

Obyciunt secundò, hanc Synodum vniuersalem non esse, quoniam in ea soli Episcopi ius habent ferendi suffragium, cum olim, etiam Laicis hæc ipsa facultas suppeteret. 2. Obiectio.

Hæc tamen ratio, si ratio dicenda est, nihil habet cum ratione & veritate commune: dupliciratione. vna est, quia solis Episcopis, inquit, nunc adesse suffragij ius: altera verò, quia Laicos, accipit, olim ad suffragium ferendum admissos esse. prima sententiæ pars, apertè falsa est, quoniam non Episcopi modo, sed Abbates quoque & generales ordinum ministri admittuntur ad suffragia ferenda, & iudicandum de rebus fidei, de quibus quæstio in Conc. exercetur. siquidem ij omnes gubernandi spiritaliter munus, atque officium habent. sunt enim alijs præfecti. Laici verò à Concilio iure repelluntur: neque suffragium de rebus fidei, & religionis negotijs, vllo modo, ferre valent. quod, vel hac ratione conuincitur. Confutatur. 1 2

Rerum fidei iudicium, non spectat ad sæcularem, aut ciuilem potestatem, sed ad Ecclesiasticam duntaxat, quod secunda monstraui disputatione, sed in Concilijs, præsertim œcumenicis,

agitan-

1 *agitantur negotia fidei, & uniuersalis Ecclesiæ causæ, ut etiam docui superius: ergo Laicus non habet ius ferendi suffragium in Synodo.*

2 *Confirmatur hæc sententia, quoniam si cui Laicorum ea suppeteret facultas, is esset Imperator maximè, qui supremus omnium est in ciuili gubernatione magistratus, at Imperator, ut ostendi, solum assistit Synodo, ut causæ ordine agantur: tranquillitas adsit: & exemplo suo ad obseruationem decretorum cæteros prouocet: quare, ne Imperator quidem hanc habet facultatem. Neque ullius Concilij generalis lege, aut exemplo probari queat, id præstari debere, aut posse a quopiam Laicorum.*

3 *Confirmatur iterum sententia: magis consentaneum est rationi, ut presbyteri, qui Episcopis dignitate assident proxime hac facultate sint præditi, quàm quispiam Laicorum, sed Presbyteri vacant huiusmodi facultate: aut enim non intersunt Synodo: aut si admittantur solum habent vim consentiendi, & consilium dandi: definiendi verò nequaquã, quod explicui, atq; ostendi latius proximis duabus disputationibus, ergo Laicis integrum nõ est, aut iure, aut consuetudine, Concilijs interesse, & suffragium ferre. ineptissimè verò, aut potius admodum turbulen-*
2 *te facere videtur, quicunque hoc tempore, Laicos contendit in Concilium esse admittendos, & habere*

habere suffragij ius: quod Protestantes faciunt. cum enim allicere in suam nassam omnes velint, blandiuntur omnibus. et cum turbas mouere studeant, atque aduersus Pontificem, & ordinem Episcoporum vulgus hominum concitare, munia & officia singulorũ confundunt. usque adeo enim certum est, nullum omnino Laicum facultate præditum esse in Concilio ferendi suffragium, & definiendi quæstiones de quibus agitur. ut 7. Synodo generali, cuius verba citaui paulo superius, definitum sit, nullius Prĩcipis sæcularis præsentiam, ut Synodus celebretur, esse necessariam.

Addo etiam non semel ad Concilia, aditum Laicis fuisse præclusum: testes produco: primum quidem epist. Pulcheriæ Augustæ ad Concilium Chalcedonense, in qua iubet, Laicos omnes ab ea Synodo procul ablegari atque repelli. 4 Laici, à Synodo repulsi.

Deinde, prima actione eiusdem Concilij legimus, publicè conclamatum esse, Concilium Episcoporum esse, non sacerdotum. quòd si sacerdotum non est, multò minus Laicorum erit. 1 2

Rursum initio Concilij Romani primi sic scriptum est: hos omnes (numerauerat autem Episcopos Synodus, & quosdam alios sacerdotes) dum in vno articulo, ad examen sanctitatis colligeret in thermas, Siluester videlicet Pontifex, voluit, ut nullus Laicorum præsens esse videretur. quod exemplum instar Legis habendum 3

Can. 3. Conc. Turonens.

dum eſt. non permittitur, Eccleſiæ lege, vt Laici in Eccleſia clericis miſceantur, & admittentur, vt ius ſuffragij ferant cum Epiſcopis in Synodo, vbi controuerſiæ Eccleſiæ cognitantur?

Vnde illud accidit, obſecro, vt cum inter nos, qui Eccleſiæ gremio continemur, plurimi Laicorum ſint, qui cum Epiſcopis de litteris, virtute, ac prudentia certare queant, nullus uſpiam reperiatur, qui Synodo intereſſe velit, plurimi verò hæreticorum ſint qui hunc ſtudeant, atque contendant, locum occupare. nullam ſanè huius rei aliam ego cauſam inuenio, quàm quòd nos eodem illo ſpiritu agamur, qui Concilio præſidet, pacis videlicet & tranquillitatis ſpiritu, hæretici uerò prorſus pugnanti, atque diuerſo.

Iam uerò, ſi Laici omnes, quotquot uelint, neque enim potior ratio eſt, cur vnus, quàm alter admittatur, & ſententiam dicat, neque eſt quiſpiam, qui hac ipſa poteſtate priuari, aut excidere facilè ferat, omnes qui præſentes in eo loco aderunt, in quo ſacra iſta comitia celebrabuntur, in Synodum irrumpent, quis eos locus capere poſſit? aut quem in ſedendo ordinem tenebunt? quòd ſi loqui nemo prohibetur, quem in loquendo modum ſeruabunt? nimius ſi quidem numerus, quod Ariſt. de Republica diſſerens, inquit, ordinem tenere nequit: qui clamores excitabuntur? ex clamoribus autem, quæ concerta-

tiones

tiones orientur? atque ex his, quæ contentiones, & pugnæ? interesse uideor Iapytarum conuiuio, & Babylonicæ confusioni, unde, cum nullus alterum assequi loquentem posset, discessere omnes re infecta.

Sed Protestantes peritissimi rerum omnium, & prudentia, scilicet clarissimi, quòd hæc dicamus, sophistas Pontificios, & parasytos nos uocant: & rationem, ac formam incunt absoluendi turrim Babel sine strepitu, sine clamore, & confusione: remedium inquiunt, huic malo facillimè inueniri possit, si initio certi examinatores constituantur, qui explorent diligenter, vtrum qui in Synodum admitti uolunt, sacrarum litterarum sint periti: à quibus etiam de uitæ honestate cognoscatur: ij, alios admittent: repellent alios: sed Deus bone quantæ, & quàm inextricabiles difficultates subeūda in hac re essent, dum iudices deliguntur: dum infinita turba examen subit. dum probantur ij: improbantur, illi, quæ querimoniæ suborientur? quæ subornationes erunt, vt admittantur? quas turbas non mouebunt illi, qui iure ferendi suffragium deyciuntur: uix enim multorum annorum uel illis solis seditionibus componendis, tempus sufficiet: præsertim si excluso, quod asserunt aduersarij, facultas appellandi ad Synodum suppetat. itaque eum modum tenendi Synodum excogitant, traduntq́; nol is,

nobis, quem si sequamur, nunquam profectò Synodum habere possimus. hoc unum est sophistam agere: quem Arist. definit, aucupatorem pecuniarum propter apparentem scientiam, hoc unũ est parasytum esse, principibus assentari, blandiri multitudini, probare peccata.

Hæretici sophistæ, & parasyti.

Instant hæretici, hoc fieri à nobis contra exemplum Apostolorum, quod nos imitari æquum est. illi enim cum Synodum tenerent, aiunt aduersarij: cum Episcopis, seniores, hoc est intelligentiores, atq; etiam ipsam multitudinem promiscuam admiserunt: Act. 15. cap.

Instantia. Soluitur.

Nos quidem minimè negamus, admitti in Synodum debere, licet non vt ferant suffragium, presbyteros aliquot qui Episcopi non sint, quos Lucas, citato loco seniores appellat: non tàm uocem ad ætatem, aut rerum intelligentiam referens, quàm ad officium sacerdotale: quod ex ipso Græco exemplari planè conuincitur: at illi vt consultores admittuntur: non vt definitores aut iudices: quod monstraui superius. admittuntur etiam aliquando Laici, præsertim Imperator, Regesq; Christiani, sed non vt definiant. neque enim usspiam huius rei exemplum reperitur, tametsi uniuersam antiquitatem repetamus.

Seniores, qui sint, Lucæ cap. 15. Act.

Locus uerò ex Actis Apostolicis ab hæreticis citatus apertè refellit eorum hac parte mendacium: sic enim scriptum est.

Quidam

Quidam descendentes de Iudea docebant fratres, quia nisi circuncidamini secundum morem Moysi non potestis saluari: facta ergo seditione non minima Paulo, & Barnabæ aduersus illos, statuerunt, vt ascenderent Paulus, & Barnabas super hac quæstione. sed ad quos? Lucas respondet, ad Apostolos, & presbyteros in Hierusalem. itaque ad eum locum, in quo erat tunc temporis Princeps Ecclesiæ Petrus contendunt vt exortam de fide controuersiam dirimerent: atque instruerent nos, ad Ecclesiæ caput, magistrum, & rectorem, Pontificem Max. in rebus dubijs esse recurrendum. non inquit, ad multitudinem, neque ad populum. subiungit paulò inferius Lucas, cõuenerunt Apostoli, & presbyteri uidere de uerbo hoc: nullam populi faciẽs mentionem. rursum cum de quæstione proposita disceptaretur Lucas ait. tacuit autem omnis multitudo, & audiebant Barnabam, & Paulum: ij, vbi dixerunt respondit Iacobus, inquit Lucas, propterea ego iudico, quod est proprium verbum definientis. nusquam autem legimus in hoc Concilio quempiam ex populo, aut ex Presbyteris quæstionem propositam definisse. nam quod paulo inferius scriptum est, tunc placuit Apostolis, & senioribus cum omni Ecclesia, non est sane referendum ad iudicium de quæstione, qua agitabatur: iam etenim ab Apostolis erat definitum,

Explicatur locus act. 15.

ut abstinerent à cōtaminationibus simulachrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine: sed ad id potius, ut eligerentur, qui definita, cum mandatis ad fratres deferrent. sic enim Lucas ait: placuit Apostolis, & senioribus, cum omni Ecclesia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam. scribunt autem Apostoli, et seniores fratribus, rem quæ acta est, quoniam tum Apostoli, tum etiam seniores, quos Presbyteros prius nominauerat, præsentes interfuerunt definitioni, & Consilium dederunt suum: tametsi Apostoli, non Presbyteri, quæstionē definierint: quod, ut dixi, verbum illud indicat, iudico.

Obiectio. Iterum obijciunt: custodia Euangelicæ doctrinæ pertinet etiam ad multitudinem, cui perinde atque alijs pater cœlestis loquitur, cum ait, hic est filius meus dilectus, ipsum audite: ergo res fidei definire omnium hominum est.

Refellitur. Sed tam est inepta, & vitiosa hæc argumentandi forma, quàm qui illa utuntur hæretici. illud verò, quod in ea sumunt, certum omnino est. omnes etenim, qui salui fieri volunt, proculdubio seruare legem oportet, custodire mandata Dei, et Ecclesiæ præceptis obtemperare: quod significatur illis verbis, ipsum audite. at partes syllogismi nullo satis firmo vinculo connexæ sunt: neque cohærent satis. nam labia sacerdotum custodiunt scientiam. & vitæ disciplinam à Vica-

rio

rio Christi in terris, accipere debemus.

Quod tertio loco memorant, iudicio Nicolai Pontificis Maximi omnibus Christianis copiam fieri existendi in Synodo generali, in qua agitur de fidei rebus, illis verbis, vbi nam legistis Imperatores, antecessores vestros Synodalibus conuentibus interfuisse, nisi fortè in quibusdam, vbi de fide tractatum est? quæ uniuersalis est, quæ communis omnium, atque ad omnes Christianos spectat. Distin. 96.

Ineptum admodum ad hanc sententiam, quā volunt obtinere, argumētum est. quia Nicolaus solū ait, fidem, de qua agitur in Synodis vniuersalibus, communem omnium esse: quod dubium non est: cum sine fide, vt Paulus inquit, impossibile sit placere Deo. aduersarij verò perperam intelligunt, asseruntq́, affirmari a Nicolao, quòd ipsa Synodus ita communis sit, vt ad eam patere aditus cuiuis, & possit, & debeat. præterea quia quamuis ille de Synodo ageret, & communem esse diceret, non ea causa talem existimaret, quod omnes in ea locum habere possent: cum dicat Pontifex, solos Imperatores Synodo interesse solere. sed communem omnium & vniuersalem vocat, quoniam quæ in ea tractantur negotia, ad omne genus Christianorū hominum pertinent. agitur enim in ea de fide, & generali disciplina morum: in cæteris verò quæ œcumenica Sententia Nicolai Pōtificis Max. explicatur.

Synodi non sunt: neq; fides, neq; generalis Ecclesiæ disciplina constituitur.

Obiectio. *Citant in hanc sententiam aduersarij Panormitanum, & Gersonem, qui ferunt, plus esse in Concilio tribuendum Laico, qui scripturam proferat, quàm toti Concilio, ea destituto.*

Soluitur. *Sed cupiditate carpendi cæci non vident, citatos auctores, non simpliciter, sed per hyperbolem potius, aut ex hypothesi, esse loquutos: si ita scilicet contingat. at, neque Concilium, cum sit opus, sanctarum scripturarum auctoritate vsquam destituetur, neque Laicus cum Synodo ulla ratione conferri debet. quòd si aliter putant* Panormitanus. Gerson. *Gerson, & Panormitanus insigniter labuntur, & errant.*

Obiectio. *Postremò citant aduersarij quædam manu scripta Cusani, in quibus, vt aiunt, affirmat, ius suffragij in Synodis, non ad Episcopos modò, sed ad sacerdotes cæteros, & laicos pertinere.*

Soluitur. *Hæc ego manu scripta nusquam assequi potui. crediderim tamen nihil simile Cusanum scripsisse; ita mihi de Cusano persuadeo quòd si id. asseruit turpiter atque fœdè lapsus est: sed humano more. neque est eius auctoritas, & doctrinæ* Cusanus. *opinio tanti faciēda, vt propter vnum Cusanum, benè ac prudenter constitutam veritatem deserere debeamus. sed contendamus ad alia.*

Obiectio. *Perstant in eadem re, atque exemplis agunt,*

Paphnu-

Paphnutius, inquiunt, & Athanasius, & qui Philosophum conuertit, non erant Episcopi: at illi iudicauerunt de fide. probant hoc, quoniam magnas res in Concilio gesserunt.

Nos (vt pluries admonui) non negamus, quin præter Episcopos, interesse Concilio Presbyteri possint, ac debeant, boni testimonij, probatæ vitæ doctrinæq́. nam id genus sacerdotes in Synodo Apostolorum adfuerunt: quod Lucas docet in Actis. & adsunt plures, quàm centum quinquaginta in hac Sacrosancta Synodo Tridentina, qui de omni quæstione proposita publicè in conspectu patrum, sententiam dicunt: & consilium quodam modo præbent. nullus tamen horum hactenus facultatem habuit definiendi, & iudicandi. similiter de Athanasio, cum primum adfuit in Synodo, & de Paphnutio censendum est. illi etenim cum Episcopi non essent ad sententiam ferendam nusquam admissi sunt reperiremus: nanque vna cum alijs istorum subscriptionem. disputarunt tamen magna cum auditorum admiratione aduersus hostes fidei. ineptè verò colligunt aduersarij definitores eos, & iudices fuisse, quoniam magnas res in Synodo gesserũt. nã licet in hoc Concilio doctores Theologi plerique, magnum ingenij sui, doctrinæq́ specimen præbuerũt, vitiosè quidem colliget, qui argumentari velit hinc, rebus eosdem iudicandis ac definiendis adhibitos

Soluitur.

Cap. 15.

Athanasius.

Paphnutius.

hibitos fuisse: ille verò, qui Philosophum superauit, & conuicit in Concilio Niceno Episcopus fuisse videtur, vel Rufini verbis, cum dicat, inter alios Episcopos, qui audiebant, erat quidam naturà simplicissimus: certè Laicus non erat. dixit enim Philosopho quem verborum, quæ suppeditauerat Spiritus sanctus, Energia prostrauerat, sequere me, in Ecclesiam videlicet, vt illum baptizaret. & si demus aduersarijs Laicum fuisse, haud dubiè nihil habent, quod nobis hæretici possint obijcere, qui non inuiti fatemur locum interdum Laicis quibusdam patere in Synodum, atque eos posse proponere: si quid norunt, quod Ecclesiæ intersit scire: hoc autem non est facultate præditos esse definiendi, quod contendunt hæretici efficere. neque is qui Philosophum superauit, quidpiā dicitur decreuisse: sed ex constitutis ab Ecclesia aduersus Philosophum disputasse, atque eundem simplicitate verborum, quæ cœlestis spiritus suggesserat, conuicisse.

Ca 3 lib. 1. hist. eccl.

Illud dissimulare nolo, aduersarios nostros hoc loco, Grammaticorum quodam supercilio, vt nos apud vulgus inuidia grauent, asserere, appellari Laicos per contemptum à nobis cæteros omnes qui sacerdotes non sint, cum plebei potius vocari debeant: quàm verò sine ratione hanc nobis calumniam intēdant, norunt etiam rudes atque ignari litterarum. Ecclesia enim ab ini-

tio, eos homines vocare Laicos consueuit, qui sacris non sunt ordinibus initiati: atque hoc sensu, Synodi, vocabulo perpetuò vsæ sunt. nisi quæ est istorum nebulonum, & triobolarium Grammaticorum impudentia, atque insania, omnes homines sacerdotes dici velint. plebei autem, viles, atque ignobiles, vulgiq́ꝫ fex, etiam prouerbio appellari solent. Laicus, quæ uox sit.

Urgent adhuc, nihil mirum est, si olim Episcopi ad iudicandum & definiendum soli admitterentur: erat enim tunc temporis, magna copia doctorum, et sanctorum Episcoporum, quia etiã ex Laicis ad Episcopatum homines promouebantur, atque ideo necessarium non erat, vt Laici se Concilio insererent: modo verò, inquiunt, cum paucissimi Episcopi, in bonorum, atq; doctorũ numero iure possint haberi, necesse est Laici admittãtur, veluti suppetias indoctis Episcopis laturi. Obiectio.

Verum hæc ratio plura continet peccata. primum pugnat cum superioribus: dixerant enim ipso iure habere Laicos locum, & vocem in Synodo, atque ad eos pertinere ius suffragij ferendi: negant modo, cum aiunt, culpa Episcoporum effectum, vt Laicis locus sit in Concilio. deinde falsum est quod asserunt, plurimos olim vita, & doctrina celeberrimos in Synodis adfuisse, modo verò vix vnum, aut alterum reperiri. paucissimos nanque historiæ commemorant, si cum reliquis Soluitur. 1 2

 confi-

Tridēti plurimi Episcopi docti, & sancti.

conferantur: nunc verò plurimos Tridenti possis reperire, claros exemplo, atque doctrina viros. noui ego ex omni natione non parum multos, vsque adeò religione ac scientia præstantes (inter quos Andreā Cuestam Legion, Episcopum referre volo, cuius imprimis duæ illæ virtutes passim celebrantur, vt æqui, & iusti tenacissimus existat, neque peregrinis doctrinis abduci se a veritate vsquam patiatur) vt sperem, procedente ætate, cum de medio sublati, inuidia liberi, atque exempti sint, summo eos loco habendos fore.

Pascitur in viuis liuor post fata quiescit.

Inquit Poeta.

3 *Tertio peccat ratio, cum in ea sumitur, olim Laicos magno studio ad Episcopatum fuisse vocatos: quod ab eis malitiosè dictum interpretor, vt Laicis, more strenuorum parasytorum, blandiantur, & Ecclesiæ suggilent. sed impudentissimè mentiuntur cum id asserunt. nihil est enim tàm contrarium Ecclesiasticæ disciplinæ: nihil tàm ab eius legibus & institutis alienum, quàm ex Laicis quempiam ad Episcopatum subitò promoueri.*

Ex laicis subitò nō debet, quis promoueri ad Episcopatum.

In Concilio Aurelianensi Can. 9. sic definitum est: nullus ex Laicis absque annua conuersatione præmissa, Episcopus ordinetur: ita vt intra anni ipsius spatium a doctis & probatis viris,

ris, disciplinis, & regulis spiritualibus plenius instruatur.

Cap. 3. Conc. Sardicens. ne quis ex Laico Episcopus efficiatur, sed per gradus potius promoueatur, definitum est his uerbis. Ossius Episcopus dixit, & hoc necessarium est, vt diligentissime tractetis, si forte, aut diues, aut scholasticus de foro, aut ex administratore Episcopus fuerit postulatus, vt non prius ordinetur, nisi antè lectoris munere, & officio Diaconi, ac Presbyteri fuerit defunctus, & ita per singulos gradus; si dignus fuerit, ascendat ad culmen Episcopatus. illa huius rei ratio redditur: quoniam per has promotiones, quæ habebunt longum tempus, potest probari, quà fide sit, quà modestia, quà grauitate, & verecundia. altera etiam ratio illa est, quia conueniens non est, neque ratio, aut disciplina patitur, vt temerè & leuiter ordinetur aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui neophitus est. maximè cum Magister Gentium Paulus, ne hoc fieret, denunciasse, & prohibuisse videatur. sed ij, quorum per longum tempus examinata sit vita: & merita comprobata: omnes dixerunt placere sibi.

Can. 5. Synodi generalis octaua, tempus ad eam rem necessarium explicatur scrupulosè his verbis.

Nullus de Senatoria dignitate, vel de aliquo

Laico-

Laicorum ordine nuper tonsus eligatur, vel suscipiatur Patriarcha, nisi secundum definitionem quæ prolata est ab hac sancta & magna Synodo. scilicet, si omnem gradum Ecclesiasticum transigens per definita nunc tempora irreprehensibilis inuentus extiterit, & probatus: ita vt in gradu lectorum annum compleat: in subdiaconatu, duos: sitq́; Diaconus, tribus: et Presbyter quattuor.

Neque id sanè mirum est: quando non semel est definitum, ne presbyter quispiam ex Laico efficiatur nisi per gradus. decretum est hoc, Can. 38. Concilij Bracarensis. cap. 5. decretorum Innocentij. Epistola 4. ad Felicem Nucerianum Episcopum. cap. 3. Epist. 3. Syritij ad vniuersos orthodoxos. Cœlestinus Papa in decreto suæ sanctionis cap. 21. & Leo Papa in suis decretalibus cap. 33. accuratè cauendum esse iubent, ne quispiam ex Laico Episcopus efficiatur.

Nicolaus etiam Papa in Epist. ad Michaelem Imperatorem, quæ inserta est actioni quartæ Synodi generalis octauæ. rursum Adrianus Primus in epist. quam Constantinopolim destinauit pro venerandis imaginibus. et quoniam Photius, qui Laicus cum esset, Patriarchatum usurpauerat, excusare se apud Nicolaū Papam volebat, exemplo antiquorum patrum, Nectarij, atque Ambrosii, in secunda Epist. ad Photium,

Nico-

Nicolaus, hanc excusationis Ansam infringit, dicens, eos patres a Deo vitæ suæ testimonium habuisse: quo careret Photius.

DISPVTATIO SEXTA.

AN SYNODVS TRIDENTINA Christiana sit.

AVDITE obsecro vos, o lectores Candidi: audiat potius vniuersus orbis terrarum: quò vsque temeritas, aut verius insania hæreticorum processerit, intelliget. audēt impurissimi homines affirmare, Synodum Tridentinam, Christianam non esse: ad hanc verò sententiã confirmandam, illis in primis argumentis vtuntur, quæ ex conuocante, ex præsidente, ex loco, ex libertate sumuntur: & sunt a me accuratissimè hactenus confutata, atque explosa iudicio veritatis, & momento rationis. iure enim illam indixit Pontifex, atq; in ea præsidet per Legatos suos. locus est admodũ accommodatus huic negotio gerendo. patres autem tam sunt liberi in sententijs dicendis:

dis, præsertim vbi causa Pontificis agitur, vt sæpenumerò liberius quàm fortasse par esset, me inspectante, non pauci sint loquuti. superest explicanda vna tantum norma rerum in Concilio tractandarum, hanc si ostenderimus maximè Christianam esse, solemnem in Concilijs, & conuenientem negotiis, de quibus suscepta tractatio est, abundè aduersarijs nostris satisfactum esse putabimus. de hac verò norma nihil prorsus seorsum dicemus: partim quòd multa dixerimus cū aduersus Montanum ageremus, partim, quòd plurima sint in hanc sententiam, & exactissima omnia, à viris non paucis Catholicis scripta, sed maximè à sanctissimo Osio Cardinali, tum in libro de expresso verbo Dei: tum in Prolegomenis contra Brentium: tum etiam in catechismo. quæ verò aduersarij adferunt argumenta per partes atque scrupulosè omnia sunt excutienda.

Fructus præcipuus Cōc.

Illud initio, quod aduersarij ponunt, tanquam verum accipio atque amplector, vnum ex præcipuis Synodorum omnium fructibus, sed præcipuè œcumenicarum esse, veri & falsi inquisitionem, diiudicationemq́; sic vt falsum respuatur, stabiliatur verum.

Pendet hæc vtilitas ex duobus, quod aduersarij etiam ingenuè fatentur, si inquam rectam & probam normam habeamus inuestigandæ et indicandæ veritatis. deinde si eà vtamur rectè.

vtroq;

vtroque vero nomine dant operam aduersarij, vt persuadeant hominibus nequaquā esse Christianam hanc Synodum: & quia ignoramus omnino rectam formam, aut cognita, nequaquā vti volumus in quæstionibus fidei explanandis, & controuersijs dirimendis. exordiuntur autem à priori parte sententiæ, hoc modo.

Scriptura sacra norma est inquirendi atque explorandi veritatem: ergo illa solum nobis agendum in Concilio est vbi veritatem inquirimus. R8 aduersariorum.

Nos quidem fatemur scripturam sacram potissimam normam esse inquirendæ, & iudicandæ veritatis: quoniam si eà suppetat, ad eam nobis confugiendum imprimis est, vbi aduersus hæreticos veritatem inquirimus. at non ea sola norma est, quia si non suppetat apertum scripturæ sacræ testimonium, quod aliquando accidit, vt monstrabo, ad refellenda mendacia, atque hæreses confutandas, quasi secunda nauigatione, vt est in prouerbio, Apostolicis traditionibus vtemur: Conciliorum definitionibus: decretis Pontificum: patrum antiquorum sententijs: atque etiam interdum scholastica Theologia. Etenim si quid obscurum, atque oppertum in sacris est litteris, planum, atque apertum his efficitur præsidiis, atque adiumentis. Soluitur.

Turpiter verò mentiuntur, cum inquiunt, nos affirmare, non modo in Synodo, sed etiam

in

in quouis alio de religione iudicio potissimum esse patres audiendos, Concilia, Pontifices Maximos, ipsamq́; scholasticam Theologiam: nos etenim Principem in omni negotio locum sacris literis tribuimus: has ipsas, munitissimam arcem putamus, ad quas etiam potissimum confugimus, cum est aduersus hæreticos nobis dimicandum. sed quoniam, vt dixi, aliquando fit, vt aperto earum testimonio destituamur, eligimus, quod dicitur vulgo, minima malorum: petimusq́; opem ab his, in quibus præsidij plurimum est collocatum.

Vis scripturæ Sacræ.

Illud verò dissimulare nolo, præter rationem vllam aut potius indignè scholasticam Theologiam ab his hominibus tractari, cum illam, hoc loco, somnia monachorum abominationes, imposturas cacodæmonum, nugas vetularum, chaos confusionum, sexcentisq́; alijs; id genus nominibus appellant. Neque enim dubium esse possit, quin hæc disputatoria Theologia multum ad veritatem excutiendam momenti habeat, quæ, vt Democritus aiebat, in profundo demersa atque sepulta iacet: dum in contrariam partem, eius ope, argumenta construuntur: dum hac veluti trutina, expenduntur momenta rationum, dum his assueti atque exerciti, multò promptiores ad vnamquanque disciplinam capessendam reddimur, dum vis ingenij acuitur,

Theologia scholastica.

dum

dum facultas animi exercitur, ac velut in procinctu collocatur, deniq; dũ ad omne genus contentionis eadem armantur inermes. præsertim si hæc studia, cum sanctarum litterarum lectione, ingenuarum artium scientia, & notitia humaniorum disciplinarum coniuncta sint. tunc enim perfectus ille, quem desiderare debemus, atque omnibus numeris absolutus Theologus euadet. verum hæretici his præsidijs animi, unde plurimum suis erroribus malorum timent exutos nos esse cuperent, ac destitutos omnino, longè facilius hominibus imponerent, & Christianam Rempublicam pessundarent. at nos tantò accuratius, diligentiusq́ in hæc ipsa studia incumbendum ducimus, quantò illa uehementius aduersarij oderunt: modo cæterarum artium studium non negligamus, quæ non in negotio solum, sed etiam in otio, iuuare magnopere possunt.

Miror tamen, quòd, quæ sit præcipua huius Theologiæ vis dissimulare volentes aduersarij, Chaos illam confusionum appellent. nihil est enim huius sacri studij tàm peculiare atque suũ, quàm rebus alioqui obscuris, & impeditis lumen & splendorem adferre. heu quantò verius vestra scripta Chaos confusionum, & pelagus tenebrarum infinitum possimus dicere. quod errorum uestrorum magister Lutherus de libris suis differens libenter agnoscit, cum ait, libros meos, aut In Præfat. primi Tomi operũ suorum.

uerius

uerius confusiones lucubrationum mearum &c. ut Iacobo Apostolo mirum in modum consentiat, qui de Martino, ac similibus hæreticis agens, despumare eos inquit, suas confusiones.

Ut autem doceant nihili a nobis fieri sacras scripturas testimonium citant sanctissimi, ac doctissimi uiri Cardinalis Varmiensis, Legati in hoc sacro Concilio, in libro quē aduersus nostri temporis hæreses scripsit de expresso uerbo Dei: quo loco, facessere, inquiunt, iubet, sacram scripturam, atque illud sequendum monet, quod nobis cœlestis magister dignatus fuerit reuelareꝗ.

Ossius Cardinalis à calumnia hæreticorum liberatur.

Sed exclamare lubet & iustis quæstibus cœlum implere, ut aduersus tam apertos hostes ueritatis, aduersus tàm nefarios hæreticos irā Dei prouocem, in uindictam patrati sceleris. sciebam ego hæreticos homines cum contra Catholicos disserunt, mendacijs, imposturis, & sycophantijs agere solere: quod quāuis ipsi etiam non inuiti fateantur, referam tamen in hāc rem uerba Remundi Rufi, uiri boni, atque docti in libro, qui duplicatio inscribitur in patronum Molinei, cum hæretico differentis.

Hæretici mendacijs de industria utuntur.

Cum unus, inquit Rufus, qui ad tuos se receperat, hæreticos intellige: familiariter ostendisset historiam à se in Ecclesiasticos compositam, quam nunc audio apud tuos circunferri: cum multa aliter se habere dixissem, respondit,

omni

omni arte cum istis improbis agendum est, improbos appellabat Catholicos. tum ego, at propter improbos non violandam virtutem censeo: cum neque propter probos, illis præstabiliores, ne amicos quidem; ut Philosophi, etiam Ethnici, in suis sectis sanctam veritatem dicebant. Neque etiam odio improborum lædendi sunt probi: tum ille, ut erat vel Sophista, vel Philosophus, finis, inquit, bonus est, sic in ordinem cogentur. si mendacijs cogi in ordinem putas, respondi, hæc mendacia latere diutius oportet: nam si deprehendantur, ut facile à doctis, lædes te, & tuos: ut postea nulla fides. alia ineunda est ratio cogendi in ordinem, quam mendacijs. deinde tu finem bonum putas, furtum, iniuriam, sacrilegium, quò illa spectant? si in populares, vel te ipsum, illa nolles, cur in sacerdotium? singulorum culpa, vniuersorum, aut dignitatis, aut potestatis non est. mittamus ista inquit, quandiu potero clades adferam. latebunt quandiu poterunt, valebunt apud vulgus ista mendacia. hæc ex hæretico Rufus narrat: quæ nos referre operæpretium duximus: ut intelligant omnes, mendacijs se plurimum hæreticos tueri.

Sciebam etiam, eos sæpenumero truncatis sanctarum scripturarum, et patrum testimonijs agere consueuisse, quod Can. 6. generalis sexta Synodus testatur, nunquam tamen mihi persua- Truncatis testimonijs utuntur.

M seram

ſeram, tàm nullius ingenij, aut iudicij eos eſſe, tàm ſtultos, ac temerarios, vt publicis vſque adeò ſycophantijs, & impoſturis illudere orbi terrarum poſſe ſe arbitrarentur, quàm eſt illa, quà ſanctiſſimum Cardinalem grauare volunt hoc loco, hæretici Proteſtantes: & Nicolaus Galius initio eius libri, quem normam atque praxim conſtituendæ religionis inſcribit. planè etenim conſtat, ampliſſimum virum ex ſententia hæreticorum, qui Suencfeldiani appellantur, cum illos reprehenderet, ea verba protuliſſe. audite obſecro vos, quicunque verum agnoſcendi ſtudio capimini, quæ conſequuntur, atque antecedunt, facilè mendacium hæreticorum deprehendetis. Oſſius Cardinalis ad Regem Poloniæ ſcribens, ita inquit.

Oſsius ex aliorū ſententia loquutus.

Erupit alicundè non ita multò Baltaſar Pacimontanus: is non à Luthero magis, quam à Zuinglio, in certis locis interpretandis ſanctarum ſcripturarum diſſenſit: ac quod ipſe, non quod illi vellent, hoc ſentire ſcripturam contendit. viderunt hoc Prophetæ cœleſtes (quorum nunc princeps eſt Suencfeldius) quod iſti ſuo ſenſui ſcripturas attemperarent: nec pro ſententia ſcripturarum, ſed pro ſua dimicarent: & ſic ſecum cogitare cœperunt: quouſq; tandem excuculatorum iſtorum tyrannidem ferremus (Martinum & Zuinglium ſignificant) vt, quod produ-

ctis

ctis, è scriptura vocabulis aliquot, eorum alicui visum est, id tanquam expressum verbum Dei adorare necesse habeamus? cum tamen sic ipsos inter se pugnantes videamus: dum hoc quisque contendit, ut non quæ Apostoli, aut Euangelistæ, sed quæ propria ipsius est sententia, eam pro expresso uerbo Dei sectatores habeant. siccine isti se tanquam numina coli uolunt? quid aliud restat, quàm vt incuruemur coràm hoc, aut illo? & quicquid eorum aliquis dixerit, è uestigio tanquam Dei uocem adoremus? offensi ea re hæretici Suencfeldiani eam rationem inierunt interpretandi scripturam sacram, quæ uerbis citatis ex Ossio, ab hæreticis continetur. dixerunt enim, nos uerò Dei de cœlo sententiam potius spectabimus: & cætera quæ Protestantes narrant. ob eam etenim causam Suencfeldiani, Prophetæ appellati sunt.

Idem quoque docemur uerbis illis, quæ Orationem superiorem consequuntur. nam ubi istorum Prophetarum sermonem retulit Ossius, uides intulit, pientissimè Rex, quò tandem res recciderit, & quàm uerè dictum est ab Augustino, quòd omninò de medio scripturarum auferiur auctoritas.

Quonam autem pacto ex propria sententia sanctissimus, atque doctissimus Cardinalis id potuit dicere, qui Suencfeldium, atque eius sectato-

res, lib. primo contra Brentium tam acriter impugnat? cuius uerba quoniam plurimum ad hanc rem momenti adferunt, non grauabor etiam scrupulosè referre.

Quartum, inquit Ossius, Euangelium edidit in lucem Suencfeldius: contra quem scriptos uidimus lingua Germanica quinque libros; is cum uideret Lutheranos, Sacramentarios, & Anabaptistas, non huius modo tempestatis, uerum etiam priscorum sæculorum hæreticos, ex scripturis errores suos confirmare: quod usque adeò uerum & certum est, vt etiam nostri temporis hæreseon architectus Martinus id inficias ire non possit: qui propterea dicit ad extremum, nomen hoc esse consequutam scripturam Canonicam, vt uocetur liber hæreticorum, quòd ex eo ducant originem omnes hæreses: quando quidem omnes hæretici scripturæ præsidio vtuntur. hoc igitur cum animaduertisset, ac fortasse in ipsius etiam Lutheri libris legisset Suencfeldius, excogitauit et ipse nouam hæresim, ac scripturarum nixus præsidio, scripturis auctoritatem omnem abrogare conatus est. sic enim loquitur cũ suis: Sunt autem hæc illa uerba, quæ aduersarij testantur Ossium Cardinalem dicere ex propria sententia.

Non oportet legis aut scripturæ esse peritum, sed à Deo doctum: etiam si milies percurreris

biblio-

bibliorum lectionem, tamen non nisi scripturæ peritus euades, & nunquam à Deo doctus: vanus est labor qui scripturæ impenditur: scriptura enim creatura est. non conuenit nimium Christiano creaturæ addictum esse. Deum audire oportet. eius voces de cœlo spectandæ sunt, vt erudiant. beatus vir, inquit Dauid, quem tu erudieris domine. æque nos docet hodie, atque olim Patriarchas, & Prophetas. visionibus, somnijs attendendum. illis enim loquitur nobis Deus. uox Dei rectè docet. scriptura non est verbum Dei, sed mortua tantum littera, & inter alias creaturas reputanda. ne putes te ex scripturis doctum: è cœlis illud spectandum erit, non è libris. Spiritus Sanctus è supernis labitur citra omne medium, non per externum auditum, & vocalem prædicationem, seu scripturarum lectionem. hactenus Suencfeldius.

Mitius egit hac parte cum sanctissimo viro hæreticus alius, non enim audet omnino ea Ossio verba tribuere: quod faciunt Protestantes, quorum est hic etiam vnus. vt intelligamus, ipsos hæreticos non cum alijs modò, sed etiam secum mirabiliter pugnare: alieno enim malo, paulò minus alijs desipiens, ita inquit.

In cuius rei testimonium vnum locum ex plurimis proferam, in quo, alterius cuiusdam sententiam de hac re Ossius citans, comprobat. me-

morat ſtatim ſuperiora illa verba, quæ Oſſio tribuunt hæretici, & à me quorſum dicta ſint, explanatum eſt.

Neque mirum videri debet alicui, quòd tam apertis ſycophantijs aduerſum nos hæretici agant: quando ipſorum poſt Martinum doctor, Philippus Melancthon, illa maximè cauſa glorietur, quòd aſtu, calliditate, doliſq́; Euangelium Chriſti offuſcarit, & ſalutiferam inficerit crucis doctrinam. quorſum enim vulgatum illud Melancthonis ſymbolum ſpectat ſerpens obuolutus cruci, ex cuius ore ſagitta prodeat tincta veneno? non aliò ſanè, quàm vt qui diligenter inſpexerint, norint, de Chriſti cruce callidè, ſe, atque ſuos prædicare, & quæ mentes auditorum verba poſſint peſtiferæ doctrinæ veneno inficere.

Qua cauſa hæretici Oſſium malè tractent.

Multò minus mirandum eſt, ſi aduerſarij noſtri, Cardinalis Oſſij auctoritatem imprimis eleuare ſtudeant, dum hæc in eum mendacia iactant. norunt quanti ille à bonis viris fieri ſoleat; neque ignorant, quantum eius doctrina ad euertēdas hæreſes momenti habeat: atq; ob eam rem eximios eius labores impenſos litteris ſuggillant. ſed obmurmurent licet, & inuidiæ, atque odij ſtimulis concitati rumpantur homines nebulones, triobolaresq́; nuſquam Oſij gloriam vlla ex parte poſſint imminuere. ſolida illa eſt, & quæ firmis radicibus nititur.

Pergunt,

Pergunt deinde inani quodam se labore consumere, ut probent solas sacras litteras verbum Dei esse, atque illis duntaxat agendum esse in Synodo. quam in rem ferè triginta positiones hæretici memorant, quæ sunt à me percurrendæ, atque excutiendæ sigillatim, ut constare possit apertè veræ'ne illæ an falsæ sint, & quatenus tales putare debeamus. sed quoniam sæpenumero necessitate compulsi in sermonem incidere debemus de expresso verbo Dei, operæpretium fuerit initio sumere, quod nam expressum Dei verbum appellemus: hoc planè nos docet Cardinalis Ossius citato libro de expresso verbo Dei: cuius verba in medium producam. Expressum uerbũ Dei.

Sunt, inquit ille, in diuinis scripturis multa Dei verba: omnia tamen sunt vnum Dei verbum, dilige. omnis enim lex in vno sermone impletur, inquit Apostolus. neque vniuersa modo lex, verum & Prophetæ sicut ipse testatur Christus. itaque plenitudo legis, & finis omnis præcepti, charitas est: ad eam enim refertur omne præceptum. in nullis scripturis, inquit August. aliud inquiratis: nemo vobis aliud præcipiat. quicquid obscurum est in scriptura, hæc, ibi obscura est. quicquid ibi planum est, hæc, ibi aperta est. præceptum istud, charitas, est super omnes cœlos: est super omnes libros. ei subduntur omnes libri: ei militat omnis lingua sanctiorum. Ad Eph. ca. 5. Math 22. Ad Ro. 13. 1. ad Tim. 1.

quicquid habeas, hanc solam nisi habeas, nihil tibi prodest: alia, si non habeas, hanc solam habe, & implesti legem. si una hæc absit, inania: si una hæc adsit, plena sunt omnia. sola hæc est quæ ad salutem sufficit, quia si perfecta est coniunctas cæteras habet uirtutes. hoc igitur uerbum consumans, uerbum abbreuians, saluificans. uerbum charitatis tàm expressum est, & dilucidum, vt illud etiam absque scripturis disci, scribat Clemens Alexandrinus, cum sit spirituale decretum, cordibus fidelium, quanlibet rudes ij sint, inscriptum. itaque nemo potest esse tàm hebes, qui uerbum hoc non intelligat; neq. ab eius ignorantia quisquam excusatur. hoc illud uerbum, de quo dicit psaltes, lucerna pedibus meis uerbum tuum, & lumen semitis meis. de quo loquitur idem: præceptum tuum lucidum, illuminās oculos. quamobrem præclarè dictum est ab August. qui uult habere notitiam Dei, amet. sed iam ad ipsas positiones aggrediamur.

Ca.22. lib.3 pedag.

Psal 118.

Psal.18.

Positiones verò has sententias iure appellamus, quoniam sunt procul a communi sensu hominum positæ.

Prima positio.

Olim, aiunt, Euangeliorum liber in medio Synodi constituebatur, ergo patres significabant, ex Euangelio duntaxat Christum esse audiendum in omni iudicio de religione.

Confutatur

Vitiosa collectio hæc est. non enim eà causa factum

ctum esse putandum est: sed potius ut insinuarent patres, in Euangelio fidei, atque morum praecepta contineri: quorum formandorum causa Synodus cogi soleat. nam si ea maximè causa quam hæretici memorant, in medio Theatri liber Euangeliorum collocatur, nihil ad eam rem in vetere Testamento, nihil in Apostolicis Epistolis, nihil in Actis & Apocalipsi præsidij inerit, atqui ij sacri sine dubio sunt libri: & expressum verbum Dei. nostris autē temporibus, Christi crux, quæ potissimum explicatur sacris litteris: in medio Synodi statuitur. Crux ĩ medio theatro posita.

Habemus, inquiunt, innumera mandata æterni patris, ut dilectum filiū suum audiamus. 2. Positio.

Verum id est. sed audimus illum loquentem, modo per scripturam sacram, modo per traditiones, modo per sacrosancta Concilia, modo per sanctos suos, qui eius nobis vocem explicuerunt hactenus, & singulis momentis explanant. neque enim modum perscripsit, quo nos illum loquentem audire deberemus: & loquitur ille, ut Paulus ait, multifariam, multisq; modis. Refutatur.

Iubet ut scripturas scrutemur.

Verum est. sed ut scripturas commodius, & maiori cum utilitate scrutari possimus, atque inuenire quod quærimus nullo errore, & exiguo negotio, adminiculo utimur Conciliorum, traditionum, Pontificiarum definitionum, & patrum,

quos

quos introduxit Rex in cællam vinariam: & quibus Christus aperuit librum signatum sigillis septem.

Iubet, vt in dubijs ad Mosem, atque Prophetas recurramus.

Verum id est. atque ita nos facimus cum præsidio eorum vtimur, quæ paulò ante commemoraui. hæc enim omnia nobis Mosem atque Prophetas aperiunt, qui obscuri sunt admodum sæpenumero, atque intellectu longè difficillimi. imo verò, instar Mosis, et Prophetarum sunt traditiones, Concilia, Pontifices, & patres. dant enim nobis modò responsa, vt quondam Moses, & Prophetæ. neque immeritò personæ nominantur, non scripta.

3. Positio. *Habemus, inquiunt, exempla Christi, & Apostolorum, qui cum rei cuiuspiam fidem facere vellent, ad sacram scripturam confugiebãt.*

Cõfutatio. *Habemus sanè: sed similiter habemus Apostolorum præceptum, qui iubent, vt traditionum diligentem rationem habeamus. Paulus ad Thess. scribens, Itaque fratres, state, ait, & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram. & cum suppetit nobis ad fidem faciendam apertum testimonium sanctarum scripturarum, non solemus ad traditiones confugere. quod exemplo Christi, & Apostolorum docemur.*

secundæ ad Thess. ca. 2.

Quan-

Quanquam ipsæ etiam traditiones, & Conciliorum decreta, sæpenumero appellari sacræ scripturæ consueuerunt. cap. 67. Synodi generalis sextæ sic scriptum est, sacra scriptura nobis præcipit, vt abstineamus à sanguine, & suffocato, & fornicatione. atqui hoc ipsum in Concilio Apostolorum est definitum. idem scribit beatus Thomas, opusc. 73. cap. 5. his verbis. voco legem diuinam, quæ in Canone scripturæ sacræ, & in decretis sanctorum patrum, ac Concilijs continetur. traditiones dicuntur sacra scriptura.

Scripturæ, inquiunt, planæ, atque apertæ sunt, ergo non indigent externis traditionum præsidijs. 4. Positio.

Bifariam ad hoc dici possit. primum, non est tàm aperta sacra scriptura vt interpretatione non egeat: quod etiam ipsi nobis aduersarij concedunt, dum de vno, atque eodem loco, multas afferunt interpretationes, & illas omnes varias penitus, atque diuersas. quod ego contra Montanum disserens subiectis exemplis monstraui. Confutatio

Deinde qui traditionibus vtitur, non externis præsidijs vti censendus est: cum nobis sacræ litteræ præcipiant, vt traditionum curam habeamus.

Dicitur autem uerbum domini lucidum, tum ea ratione, quam superius ex Osio retuli: tum etiam quia si semel illud benè explicatum animo inseras Verbum domini lucidum.

inseras, magnam lucem & splendorem suppeditat ad vitam sine crimine transigendam.

Viæ domini planæ. *Vaæ autem domini planæ sunt, quoniam earum exitus, quies est. tranquillitas est. & qui per eas incedit, à fine non aberrat, neque defatigari possit: cum spectet coronam vitæ, quam promisit Deus, vt Paulus ait, diligentibus se.*

5. Positio. *Christus, inquiunt, traditiones reprehendit, atque illos insuper qui traditionibus vtuntur.*

Confutatio *Duplex est traditio, quod nos ipsum expressum Dei verbum docet. vna quæ pugnat cum Christi lege, & tota humana est, atque carnalis: qualis illa erat, de parentibus constitutis in necessitate deserendis, ut oblationes maximæ, & frequentes altario offerentur, quæ pugnat cum illo præcepto, honora patrem tuum, & matrem tuam. Altera est spiritalis, & quæ ad explicandam pertinet voluntatem diuinam: qualis est ea, cuius, citato superius loco, Paulus meminit. primum itaq; genus traditionum Christus seuerè admodum impugnat, & reprehendit: item etiam eos homines, qui id genus traditionibus fiderent. has reprobat Matth. 15. dicens, quare vos transgredimini mandatum Dei, propter traditiones vestras? de his differit cum ait, frustra me colunt mandatis hominum. harum sectatores cæcos appellat, & duces cæcorum. has innuit, cum ad Titum scribens cap. 1. ait, ne*

atten-

attendatis mandatis hominum auertentium se à veritate. secundum verò genus tantum abest vt vituperet, vt illud magnopere commẽdare videatur per beatũ Paulum ad Thessalonicenses. imo verò cum sit quoddam aliud interiectum genus traditionum, quæ sunt quidem indifferentes, cuiusmodi erat sæpius lauare manus, & purgare vrceolos, earum obseruatores Christus non carpit. nam cum Apostoli à Iudeis increparentur, quòd ante prandium non lauarent manus, non reprehendit Iudæos: Apostolos verò venia dignos censuit, atque pronunciat.

Si non scripturæ sacræ testimonium, inquiũt, sed patrum iudicium sequendum est, cum de moribus aut fide controuersia incidit, quo pacto potuerunt similes lites dirimi, initio nascentis Ecclesiæ, vbi neque Thomæ, neque aliorum patrum erant scripta? 6. Positio.

Dicendum est primum, quo tempore non suppeteret apertum scripturæ sacræ testimonium, ad traditiones cõfugiebatur, quas Christus docuit Apostolos suos: ipsiq; Apostoli alios docuerunt. nusquã enim illæ in Ecclesia Christi defuerunt. Confutatio

Deinde aderat summus Pontifex his ipsis controuersiis à Christo Iesu iudex constitutus, cuius mens diuinis radiis illustrata, quæ agenda essent facile cernebat: habemus exemplum huius rei, Concilium Apostolorum, in quo non parum mul

ta definita, esse constat, ad quæ decernenda; haud dubie nõ habuerunt iudices, sacrarum scripturarum apertum testimonium, vt fuerit necessarium partim traditis sibi à Christo, quæ scripta non erant, partim diuina ope Spiritus sancti adiuuari.

Quanquam nullum fuisse vsquam tempus existimo, in quo non aliquid, quod ad Ecclesiæ instructionem pertineret, à sanctis patribus præter Canonicam doctrinam, mandatum litteris habuerimus. nam statim post Apostolos Christi, Clementis, Lini, Cleti, & aliorum Pontificum, magnorumq; virorum aderant scripta, quibus instrui Christiani potuerunt, si qua re, præter litteras sacras, esset opus.

7. Positio. *Norma, inquiunt, iudicij paucis, & definitis, ac certis scriptis comprehendi debet. at scriptura sacra est definita, interpretum scripta indefinita, & incerta.*

Confutatio *Dicendum, quòd licet scriptura sacra, libris, paginis, versibus, atque verbis sit definita, sententia proculdubio infinita est. quare opus est ad difficultatem sententiarum de medio tollendam interpretum atque explanatorum opera, & studio. huiusmodi sunt traditiones, Pontificum sanctiones, decreta Conciliorum, & patrum sententiæ. cõtra verò cõtingit in cæteris. licet.n. alia scripta libris & paginis penè infinita sint,*

senten-

ſententia & interpretatione ſunt definita. cum omnia eò maximè referantur vt Dei uoluntatem, atque eius ſcripturam interpretemur.

Non ſunt, inquiunt, olim miracula edita in confirmationem doctrinæ hominum, Hieronymi inquam, Auguſtini, & aliorum, ergo non eſt illa tanti facienda, ut eadem, tanquam certo atque euidenti argumento uti uelimus, ad iudicium de religione faciendum. 8. Poſitio.

Fatemur, nuſquam fuiſſe edita miracula in confirmationem humanæ doctrinæ, quatenus illa humana eſt. at uerò ſæpenumero ſunt edita, ut conſtaret, illam doctrinam diuinam eſſe, Euangelicam eſſe, hoc eſt Deo, atque eius ſacro Euangelio conformem, et maximè cõſentaneam. hoc nemo poſſit negare, cum etiam ipſimet aduerſarij undecima poſitione id cõcedant, dicẽtes. Confutatio

Omnes patres confiſſi ſunt, ſe, ſua ex ſacris literis accepiſſe: & inde, ut ex fonte, omnia ſua probare ſunt conati. itaque olim in confirmationem uitæ, atque doctrinæ miracula edebantur.

Norma, inquiunt, iudicij, publicum quiddam eſſe oportet, & confirmatum à ſumma auctoritate: ſed talis eſt ſola ſcriptura ſacra. 9. Poſitio.

Fateor priorem huius ſententiæ partem ueram, ac certam eſſe: cæterum ſecunda pars falſa omnino, atque improbabilis exiſtit. tametſi enim ſcriptura ſacra publicum quiddam ſit, & Confutatio

ſum-

summa confirmatum auctoritate, non est id sanè sanctarum scripturarum proprium, sed etiã traditionum uniuersalium, Canonum, qui conduntur in Synodis, ac definitionum de fide, quas Romani Pontifices faciunt. sunt enim publicæ normæ & Christi auctoritate probatæ, quæ summa est. ille etenim, neque Pontificem errare sinit, neque permittit usquã ut Concilia generalia labantur. traditiones uerò quæ sunt ab Apostolis ductæ, & totius Christiani orbis consensu firmatæ haud dubiè à Christo comprobantur. certis tamen quibusdam interuallis, cum discernantur, semper Principem locum sacræ litteræ, iure occupant suo.

traditiones Christi auctoritate firmatæ.

10. Positio.

Illud autem admonere lubet, quo, abunde satis decimæ positioni responsum esse iudico, sacras litteras non esse eò duntaxat à Christo destinatas ut habeamus iudicij normam, quod aduersarij malitia potius quàm ignorantia ducti tantopere urgent, sed potius ut nos instruant, ad uirtutem instigent, & meliores reddant. quia scriptura diuinitus inspirata, Paulus ait, utilis est ad docendum, quomodo spiritaliter degere debeamus. quem usum, qui maximus sanè est, ex sacris litteris habere possimus, tametsi de fide lis nulla, aut controuersia usquam exoriatur. & fit interdum ut in eisdem ad dirimendum de fide quæstionem testimonia aperta non suppetant, nisi uel

Confutatur

si uel Apostolica traditio, uel Pontifex Maximus, uel etiam patres in Synodo legitime coacta ope cœlestis spiritus adiuti suppetias ferant.

Omnes patres, inquiunt, professi sunt, sua se ex sacris litteris hausisse, ergo illæ solum nobis sunt adeundæ. 11. Positio.

Fateor quod accipiunt, si eo sensu dictum sit, occasionem, & initia rerum, quas suis libris cõplexi sunt, ex sacris libris potissimum cœpisse, atque ea scripsisse patres quæ non discrepent à literis sacris, sed consentiant potius cum eisdem. at non propterea libri patrum non sunt nobis adeundi. neq; qui eorum doctrina vtuntur, rerum naturam inuertunt: & mensuram ex re mensurata diiudicant, aut fonti riuum anteferunt, quod aduersarij nobis obijciunt. sed quemadmodum riui notitia accepta, in fontem, vnde ille est ortus, nos ducit, atque interdum res mensurata, in ipsam mensuram, ita quoq; sanctorum patrum scriptis in sanctarum scripturarum cognitionem sæpenumero perducimur. sunt enim fili cuiusdam instar. neque id vllo modo est pluris patres, quàm sacras litteras putare; sed potius eosdem scripturarum seruos, atque ministros facere, cum omnem suam operam in sanctas scripturas collocent, atque illis explicandis summo studio, & diligentia incumbant. Refutatur.

Aiunt, Papas sæpenumero sanctarum scri- 12. Positio.

pturarum rudes fuisse, atque ideo nihil illos scribere potuisse, quod iuuaret Ecclesiam.

Refutatur. *Dico paucos (quod sciam) ab initio tales extitisse, quales nobis hæretici, plurimos eorum faciunt. si quidem magna ex parte ad Ecclesiæ gubernacula viri docti, atq; prudentes sederunt. licet verò concedamus fuisse aliquando Pontificem, qui non tàm exactè & perfectè studijs sanctarum scripturarum imbutus, & cumulatus extiterit, quàm ratio postulat, habent illi semper consiliarios doctissimos, atque optimos viros, quorum consilio iuuari possint, cum res ipsa postulare videbitur. & quò quisque minus ingenio, atque doctrina valet, eò magis aliorum consilium requirit. habent etiam Spiritussancti præsentem opem, qui in negotijs fidei definiendis erratem Pontificem non sinit, quod est à me monstratum alio loco: cum venerit Paracletus, inquit Iesus, quem mittet pater in nomine meo, docebit omnia, & suggeret omnia. quæ sunt inquam ad Ecclesiæ gubernationem necessaria.*

13. Positio. *Patres, inquiunt, Papa, & Concilia, solum egerunt de controuersiis sui temporis: ergo nostris causis accommodari illa non possunt.*

Cõfutatio. *Egregia sanè argumentandi forma, aut ridicula potius. quasi verò leges ciuiles, quas temporis necessitas excogitauit, illis duntaxat temporibus conueniant, quibus inuentæ atq; latæ sunt:*

ac non etiam consequentibus. leges quoque Pontificiæ, Conciliorum, & patrum, non ad eas modò controuersias accommodabuntur, quibus tollendis repertæ sunt: etenim sæpenumero in easdem causas incidimus. & si diuersæ sint, difficilè non est ex latis iam legibus aliquid accipere, quod præsentibus litibus, atque negotijs seruire queat: præsertim cum leges Ecclesiæ, longe diuturniores quàm ciuiles sint, & quæ fidem attingunt, perpetuæ existant: neque vlla temporis iniuria antiquari, aboleri'ue possint. Leges, quibus seruire possint.

Patres, inquiunt, vetustiores, & saniores, à suis scriptis ad solas sacras litteras nos ablegāt, tunc maximè, cum de arduis rebus quæstio est. 14. Positio.

Apertè mentiuntur aduersarij, dum ita loquuntur. solum id faciunt patres, vt se atque sua extenuent (cōtrà quàm faciunt hæretici, qui singula sua verba, singula diuina mysteria esse putant) asserunt sententiam suam, non tanti faciendam esse, ac si ipsi errare minimè possint: quod sanè verum est. eorum enim auctoritas post diuinas litteras, post Apostolicas traditiones, post sententias summorum Pontificum, post Conciliorum decreta, numeranda est. ac nisi scripta patrum sacris litteris nitantur, proculdubio infirmæ auctoritatis, neque magni quidem momenti esse solent. sic nos docet Irenæus lib. 2. aduersus scripta Valentini. cap. 56. & Hieronymus Cōfutatio. Patres sancti sua extenuant. Irenæus. Hieronymus.

nymus super Matthæum, cum inquit, quod de scripturis non habet auctoritatem, eàdem facilitate contemnitur, qua probatur. non inquit tamen, quod non est expressum in sacris litteris: & satis habent auctoritatis ex scripturis, quæ vel necessario deducuntur ex eis, vel cum illis consentiunt, atque cohærent: qualia proculdubio plurima sunt, quæ scriptis sanctorum hominum con-
Cyprianus. *tinentur. idem quoque Cyprianus scribit in sermone de Baptismo Christi. inueniet, inquit, Christiana religio ex scripturis sacris omnium doctrinarum regulas promanasse: & hinc nasci, atque huc reuerti quicquid Ecclesiastica conti-*
August. *net disciplina. Augustinus contra Vincētium Donatistam: nostra non sic leguntur, tanquam ita ex eis testimonium proferatur, vt contra sentire non liceat. subiungit, sicubi fortè aliter senserim, quam veritas postulat.*

15. Positio. *Aiunt, nullus hactenus omniū patrum com-*
16. Positio. *mentarijs suis totam sacram scripturam expli-*
17. Positio. *cuit. & ferè omnes fuerūt destituti trium linguarum cognitione, quæ ad sacras litteras intelligendas magnopere necessaria est. rursum, eorum plerique; prætermisso litteræ sensu solas allegorias sunt persequuti.*

Confutatio *Hæc, tribus, aduersarij positionibus complectuntur. sed quorsum euadunt, dicet aliquis? eò inquiunt, vt sciamus non posse ex patribus peti*

omnium

omnium locorum ſcripturæ ſacræ explanationem. atque ob eam rem ad ipſas ſolas ſcripturas ſacras tanquam ad fontem omnium rerum eſſe recurrendum. ego verò niſi male diuino, eò potiſſimum hanc aduerſariorum orationem arbitror pertinere, vt ſanctiſſimis & doctiſſimis viris, qui conſenſu antiquitatis celebre nomen, atque eximiam laudem ſunt conſequuti, ſi poſſint, auctoritatem adimant: & debitum tantis laboribus honorem eripiant, dum maculas aſpergũt: & notas inurunt. atque inſuper ſuos laudibus onerent, quorum pleroſque, in id vnum ſcimus incubuiſſe, vt linguarum peritiam aſſequerentur: bonarum artium ſtudio, aut prætermiſſo prorſus, aut leui duntaxat guſtu comparato: quod eorum ſcripta palàm teſtantur. ſed nihil omnino agunt aduerſarij. tametſi enim maximè velint tantorum virorum nomen, et gloriam obſcurare, dum ſcripta vituperant, eleuant ſtudia, nunquã profectò voti compotes euadent. iniquorum etenim hominum, ſed præſertim hæreticorum vituperatio, laus potius, quàm honoris detractio eſt. nollem ego ab improbis hominibus laudari. placent ſimilia ſimilibus. nemo autem ignorat, antiquis temporibus, nõ parum multos, tum Græcos, tum Latinos extitiſſe, qui vniuerſam ſacram ſcripturam eruditiſſimis ſuis commentarijs ſint proſequuti. quis non agnouit Origenem? aut cui Hie

ronymus notus non eſt? vt cæteros ſilentio præteream.

Et ſi daremus aduerſarijs, neminem hactenus in vniuerſa ſacra ſcriptura fuiſſe ſcribendo occupatum, illud abundè ſatis exiſtimare deberemus ad hanc rem, hos, hanc partem: illos, illam feliciſſimè & magno cum fructu ſuis Commentarijs, explicuiſſe: vſque adeò vt nullus ſanctarum ſcripturarum locus difficilis reperiri poſſit, cui, non vnus modo, ex antiquis, ſanctisq́; patribus, ſed plurimi potius lucem, atque ſplendorem intulerint: ex quorum admirabili conſenſu efficitur proculdubio ſumma quadã auctoritas, cui nemo facilè poſſit obſiſtere. hos ego in præſentia numerare facilè poſſem, & facerem ſanè libenter, ſi quà ex parte, hac mea relatione, auditores iuuari poſſe putarem.

Scimus etiam non admodum paucos olim in Eccleſia fuiſſe, Latini, Græci, atque Hebraici ſermonis peritiſſimos: & qui, poſtquam ſenſum litteralem, qui eſt veluti fundamentum reliquorum, aperuerunt, cæteros omnes ſenſus, magna cum vtilitate, & admiratione hominum, ſummaq́; cum ſua laude aperuerunt.

18.19.20.21.22.23. Poſitiones. *Ingens, aiunt, diſſonantia ſenſuum ſcripturæ in ipſis patribus reperitur, ergo illi non ſatis poſſunt accommodari explicandis locis obſcuris ſanctarum ſcripturarum.*

Hic

Hic ego primum possem negare, quod & facio ipsos antiquos patres tùm cum alijs, tùm etiã secum, vbi sacras litteras interpretãtur, pugnare: si qua verò parte pugnare videantur, difficile non est, pugnantiam componere. nusquam tamen pugnant vbi illos explicant locos, quibus Christianæ vitæ documenta continentur: neq; id mihi vsquam hæretici monstrare possint, quantumuis diligenter eorum euoluant scripta. sed quoniam in leuioribus rebus accidere possit, vt pugnent inter se se, nos, cum illos in medium producimus ad faciendam fidem, non tàm exquirimus, quid unus, aut alter putarit, quàm quis patrum de ea re fuerit consensus: & quandiu, ac quibus locis. ex his etenim tribus, illud proculdubio efficitur, quod Catholicum appellamus. quantò uos grauius reprehendendi estis ò hæretici, qui non solum ab alijs opinione, & sensu discrepatis, sed pugnantem quoque secum sententiam addicitis, quã non in mensem modo, sed in dies etiam singulos, momentaq; singula mutatis, abijcitisq;. id quoniam grauissimi viri libris in uulgus æditis, & peculiaribus huic negotio, uoluminibus dicatis, monstrauerũt, quod uos ipsi maximè si uelitis, inficiari nunquam potestis, minimè hanc rem ullis testibus addicam. euoluite, quæso uos, tabulas illas quæ ex scriptis Vuilelmi Lindani Dodracceni desumptæ uulgò Cõfutatur. Consensum nos doctorum requirimus.

feruntur, haud dubiè me uera dicere, asseretis: & compendio hoc labore, nisi uestra scripta uobis sunt satis, liberabimini. hanc uerò de maximis rebus pugnantiam, quæ non solum in uestris animis, ut par est, sed in scriptis quoque uestris reperitur, Patriarcha uester Lutherus lib. 1. contra Zuinglianos, à Sathana ortam esse inquit. quòd spiritus ille uertiginis, ipse sibi contradicat: unde liberè concludendum esse ait, Diabolum omnium dissensionum patrem, Zuinglianorum esse doctorem.

Ortus pugnantiæ.

Zuinglii de Luthero sententia.

Zuingliani uerò de Lutheranis in hunc modum disserunt. in te, tuosq; retorta Luthere, de te ipso, tuisq;, plus inter se, quàm nobiscum pugnantibus pronuncia: et verissimum dixeris. utrique verò hac parte verum dicunt. hæc est enim potissima hæreseos nota, si pugnantia in his insit capitibus, quæ sunt ad salutem hominum necessaria. ut verè asseruerit Hylarius, lib. 7. de trinitate, hæreticorum esse incerta omnia & vana: inuicem dissidere: non eadem de eisdem dicere: cum sint, vel duo, vel tres semetipsos arguere: de eisdem verbis non consentientes, differentia dicere: in idem tamen blasphemiæ concurrere propositum.

Hylarius.

Quadrat in eosdem illud Hieremiæ testimonium cap. octauo, verè mendacium operatus est stylus scribarum, confusi sunt sapientes, perterriti,

riti, & capti sunt: verbum enim Domini proiecerunt: & sapientia nulla est in eis. nos cum patrem habeamus Deum: doctorem Iesum Christũ: Spiritumsanctum, qui optima suggerat: cum intra eam Ecclesiam versemur, aduersus quam portæ inferi non præualebunt, vnam habemus fidem: vnum baptisma: vnam doctrinam de articulis fidei et sacramentis Ecclesiæ: vnam etiam eorum locorum interpretationem, quibus nostra salus continetur. hanc, partim accepimus ex Christi Euangelio: partim ex Apostolorum scriptis: partim per traditiones à Christo datas Apostolis, & ab his, quasi per manus ad posteros transmissas. Christus aperuit scripturas discipulis qui contendebant Emaus: Christus aperuit scripturas cæteris omnibus, quandiu cum illis vixit: Christus quotidie illas aperit summis Pontificibus, Synodis sacrosanctis, patribusq; a quibus necesse est edoceri cæteros omnes. hæc est illa Cabala, quam à nobis hæretici exigunt, cum qua Iudæorum Thalmud de certitudine contendere nulla ratione possit. hæc a primis Ecclesiæ Christi temporibus ducta, nunquam hactenus vllo dolo malo, aut fraude hæreticorum aboleri, aut coinquinari potuit.

Christus quotidie aperit scripturas.

Necessarium verò minimè fuit (quod nobis obijciunt aduersarij) vt hæ ipsæ traditiones aliquo libro continerentur. per manus satis fideliter trade-

tradebantur, & pro ut necessitas postulare videretur in scripta redigebantur. huc enim illa dicendi forma pertinet, quæ Concilijs, & sanctis patribus est familiaris. quemadmodum à Christo & ab Apostolis accepimus. adde, quòd beatus

Clemens. *Dionysius, Ignatius, atque etiam Clemens Petri discipulus, tum in recognitionibus, tum etiam in illis libris, quos de Apostolicis constitutionibus inscribit, qui proximis his diebus industria Francisci Turriani, viri boni, atque maximè eruditi, in lucem hominum è tenebris, in quibus hactenus delituerat, typis excussus prodijt, ferè omnia quæ docet. docet autem tradidiq; nobis plurima, a beato Petro & ab alijs Apostolis accepisse narrat, qui dicerent ea se à Christo edoctos fuisse.*

24. Positio. *Superiore annotatione simul sex positionibus satisfecimus: nunc verò vigesimam quartam aggrediamur.*

Si ipsa scriptura sacra, inquiunt aduersarij, satis per se non est, sed externis adhuc præsidijs indigemus, erit Iudæorum conditio, longe quam nostra melior: si quidem habent firmam suam traditionem in libris Thalmudicis comprehensam: cui, neque additur quidpiam, neque detrahitur vnquam. at Spiritussanctus, aiunt ridentes, semper aliquid patefacit summis Pontificibus, & Episcopis in Concilio, quod addere possint.

Fatemur

Fatemur verum omnino esse, quod hæretici asserunt, semper aliquid ab Spirituſancto Pontifici, & Episcopis in Concilio patefieri: iuxta promissionem illam à Christo factam eisdem, Paracletus autem spiritus quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, necessaria videlicet ad gubernationem Ecclesiæ, & animarum salutem. vt igitur necessitas incidit, ita nos cœlestis spiritus erudit: modò per Pontifices Romanos, modo etiam per patres in sacrosanctis Synodis: atque eà est summa prouidentia Dei, vt ab eius semper ore pendeamus, eius diuinam opem imploremus, & agnoscamus in nos paternam eius beneficentiam, liberalitatemq́ue. Confutatur Ioan.14.

Sed audite obsecro, quænam paucis his sæculis patefacta esse Ecclesiæ dicant, ludentes hæretici, & tanquam nouitium & pestilens inuentum derident, tum hoc loco, tum etiam de ea re libris æditis. Monachos mendicantes, indulgentias, communionem sub vna specie, imagines sanctorum, quas statuas per ludibrium appellant, & loca, miracula patrantia. quæ tamen omnia pietatis & rationis plenissima sunt: neque tàm nuper inuenta, vt, vel propter antiquitatem, laudem non mereantur: quam ego rem tantum obiter in præsentia attingam, quoniam eandem viri doctissimi, atque optimi copiosè & accuratè

sunt persequuti, atq; à nobis de ea vberius dicendum est, in confutatione Augustanæ Confessionis, quam adornamus, & dabimus breui in lucem: volente Deo.

Monachorum institutum. *Monachorum institutum, & viuendi rationem, nemo negat vetustam admodum & receptam vsu, tùm in noua, tū etiam in vetere lege. Nazaræi etenim sub lege, Monasticam vitam profitebantur, & ad tempus alij: alij perpetuò Deo se spontè sua per vota, consecrare soliti sunt.* Cap.6. *de quibus in Numeris scriptum est, vir siue mulier, cum fecerit votum vt sanctificetur & domino se voluerit consecrare; à vino et omni quod inebriare potest, se abstinebunt. quod sanè vitæ genus sequutus est Sanson, de quo in hunc modum* Iud.13.cap. *Angelus loquitur, erit puer Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex vtero matris suæ vsque in diē mortis suæ. talis fuit etiam Elias, quod ex lib.* Lib.3. *Regum cōstat: quem Principem atque auctorem benè & prudenter formatæ Monasticæ vitæ fuisse* C.11.lib.1. *Historia Tripartita narrat. huc spectans Paulus ad Heb. scribens, quosdam veteris Testamenti patres recenset, qui circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.*

Iam verò initio nouæ legis extitit Ioannes Baptista, qui victus tenuitate, asperitate vestitus, mundi contemptu, hæremi incolatu Monachatum

tum ad vnguem expressit: cuius exemplum multi sequuti, quod in actis legimus, Hierosolymis habebant omnia communia, ita vt nemo suum aliquid esse diceret. plurimæ etiam teneræ puellæ eo tempore, quod Eusebius testatur, contemptis mundi illecebris, & sexum pro nihilo ducentes in castitate, paupertate, et obedientia Domino seruierunt. atque hoc institutum viuendi, diuinè vti cætera diuinus Dionysius Areopagita Apostolorũ discipulus in Ecclesiastica Hierarchia nobis explanat, & mirabiliter omnium mentibus subijcit, cuius aliquot verba sigillatim memorare lubet, quoniam ad confutandam hæreticorum, hac parte, sententiam, multum operæpretij adferunt.

Cap. 3.

Cap 25. lib. 3. hist.

Cap. 6.

Alij, inquit, vocauerunt eos famulos, propter purum, & assiduum Dei famulitium, alij Monachos à Monade, idest, ab vnitate, propter ipsorum vitam indiuisibilem, & singularem, quæ vnit eos simplicium contemplatione, & tractatu ad conformitatem diuinæ simplicitatis, et perfectionem amabilem Deo: propter quod Ecclesia continuò attribuit eis perfectiuam gratiam, & sacerdotali, non Pontificali benedictione benedicuntur. modum deinde persequitur sacer Dionysius benedicendi Monachum, & quid ille polliceatur se obseruaturũ declarat. sed id cõsulto prætermitto. mendicantium verò institutum,

Mendicantes.

tum, ut minimum à Dominico, & Francisco viris sanctissimis cœpit: & agitur modo annus quadringentesimus. habent autem id genus Monachi præter cæteros, ut mendicatò uiuant. quòd si Monachorum, qui mendicatò non uiuunt uitæ ratio probatur hæreticis, quoniam ad Euangelicam perfectionem perducit, ego non uideo, cur mendicatò uiuentium institutum, quod ad perfectionem accedit propius, improbari possit. quid hoc, obsecro, aliud est quàm paupertatem improbare? quam Christus uitæ Magister usque adeò commendat, ut beatos pauperes spiritu pronunciet, quoniam eorum est regnum cælorum. sanè qui id faciunt Apostolos reprehendunt, qui contemptis rebus omnibus, sine pera, et calceamentis Euangelium posuerunt, quorum nomine fidenter ad Christum Petrus ait, ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te. Reprehendunt etiam Christum Iesum, qui ut ita plerique uiuerent, occasionem præbuit, cum ait, si uis perfectus esse, uade, uende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis Thesauros in cœlis: increpemus igitur eos quos laudans

Act.cap.4. *Lucas testatur, uendidisse possessiones suas, & pecuniam ex his conflatam in communem usum contulisse, ita ut nemo suum esse diceret aliquid,*

Nicephorus lib.2. cap.2. *quod asserit Nicephorus: quoniam indiscreta, & communia apud ipsos erant omnia. multò sa*

tius

tius quàm uos Tertullianus uir apprime doctus rem considerauit, cum ait, bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare: melius est pro intentione sequendi Dominum insimul donare, & absolutum à solicitudine Christo egere: ille enim de se ait, Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.

Lib de Definit. Eccl. dogmat.

Laudant paupertatem istam, aut mendicitatem potius, quam vos tantopere vituperatis, Basilius in regula Monachorum, atque in sermone de renunciatione uitæ. Hieronymus ad Heliodorum, et Rusticum. Bernardus in prima declamatione. Casianus pluribus collationum locis. Augustinus lib. 17. de ciuitate Dei, cap. 4. Tertullianus loco à me superius citato.

Laudatores mendicitatis.

Laudant Pontifices Maximi Christi Vicarij, qui id genus institutum vitæ probauerunt: laudant sacrosanctæ Synodi sæpenumero. & vos nihilominus impurissimi homines vestram sententiam non veremini tot, ac tam præclaris viris opponere? facessite procul cũ istis uestris somnijs, atque importuna ista viuendi licentia.

De indulgentijs satis multa aduersum vos à Catholicis hominibus, magno iudicio scripta esse video: hinc etenim omnis vestri mali labes. ego vero vnum dicam de ea re, non fuisse nuper, quod vos asseritis, earum vsum in Ecclesia excogitatum:

Indulgētiæ

gitatum: habemus huius rei vetusta exempla:

Clemẽs VI. Papa. *in bulla Iubilei Clementis Sexti, ante annos 200. & amplius facta est secundum indulgentiam plenissima omnium peccatorum remissio visitanti Ecclesiam sancti Ioannis Lateranensis 30. diebus.*

Vrbanus II. Papa. *Deinde bulla, & auctoritate Vrbani II. in Synodo Claramontana, de bello Hierosolymitano suscipiendo, ante annos 450. facta est similis remissio his verbis.*

Nos autem de misericordia Dei, & beatorum Petri & Pauli auctoritate confisi fidelibus Christianis, qui contra Sarracenos arma susceperint, & onus sibi huius peregrinationis assumpserint, iniunctas sibi pro suis delictis pœnitentias relaxamus, qui autem in vera pœnitentia decesserint, & peccatorum indulgentiam, & fructum æternæ mercedis se nõ dubitent habituros.

Gregorius VII. Papa. *Gregorius etiam Septimus ante 500. annos, indulgentias istas concessit. constat ex epistola ad Lemoniensem Episcopum in Anglia. & ex epist. ad Fratres monasterij Massiliensis.*

Gregorius Magnus Papa. *Est etiam exemplum remissionis peccatorum secũdum indulgentiam in registro Gregorij Magni, ante annos 900. lib. 3. Epistolarum, cap. 26. sub ista forma.*

Clauem verò, inquit, paruulam à sacratissimo beati Petri corpore pro eius benedictione trans-

transmisimus: in qua est ferrum, de catenis eius inclusum, vt quod collum eius ad Martyrium ligauerat, vestrum, ab omnibus peccatis soluat.

Hanc Dionysius Areopagita illis verbis significare videtur, diuinis iudicijs sancitum est, vt eis, qui digni sunt, vt accipiant, dona Dei dentur, per eos, qui digni sunt, vt tribuāt. exemplum autem indulgentiarum sumpserunt Pontifices ex eo quod Paulus fecit, & scriptum reliquit de eo qui incestum commiserat, cap. 1. Epist. 2. Corinth. Dionysius Areopagita

Communio sub altera specie duntaxat, neque excogitata est, neque praecepta antè pauca secula, quod aduersarij pleni mendacijs, atque dolis assueti testantur: & est illa quidem cum ratione admodum coniuncta. Christus etenim in postrema cum discipulis cœna, quo tempore, & loco sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum instituit, cuius officium, vt canit Ecclesia, committi voluit solis presbyteris, vt sumant, & dent cæteris, cum ait, hoc facite in meam commemorationem, præcepit sacerdotibus, vt cum istud incruentum sacrificium, in memoriam eius quod in cruce peractum est, offerrent, vtraque specie vterentur, propter mysterium crucis: dum ad eos tantum inquit, bibite ex hoc omnes. de communione verò Laicorum, & sacerdotum, cum sacrificium non offerunt, nihil prorsus definiuit: Cōmunio sub altera specie.

niuit: de modo loquor, quo sumendum ab ijs esset sacramentũ, sed in Ecclesiæ arbitrio positum est. in cuius potestate Christus reliquit cõmodam sacramentorum administrationem: sic nos existimet homo, Paulus ait, vt fideles ministros, & dispensatores mysteriorum Dei.

Hinc effectum est, vt cum de Communione Laicorum, in Ecclesia Christi nihil esset definitum, alij ab initio vtranque speciem amplecterentur: alij alteram duntaxat: bona pars Græciæ sacramento vsa est sub vtraque specie: Hispani verò, Galli, atque aliæ plurimæ nationes altera tantum contenti sunt: atque ea consuetudo in Germania durauit vsque ad Vuiclefum, Pragensem, & Ioannem Vssum: quo tempore, vt Cocleus narrat in historia Vssitarum, quidam ludi magister, aut puerorum institutor clamare cœpit, alteram partem sacramenti Eucharistiæ Laicis præreptam esse: cum Christus præcipiat, vt omnes, vtranque speciem sumamus, illis verbis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. tunc Bohemi vtranque speciem expetere cœperunt, quam, cum non facile concederetur, non spretita Ecclesiæ auctoritate, arripuerunt. atque id genus hæretici, ab vsurpata vtraque specie, eam consensu Catholicorum appellationem meruerunt, vt hæretici sub vtra-

Vnde orta hæresis de Communione sub vtraque specie.

que

que appellarentur.

Coacta est id temporis Synodus Constantiæ, in qua simul cum alijs rebus, de Communione actum est, visumq; spiritui sancto, & patribus qui Constantiæ Synodum tenebant, sub alterutra specie totum Christum esse contentum, & qui sub specie panis Eucharistiam sumat, edere carnem filij hominis, et bibere eius sanguinem. nam quandoquidem viuum Christum sumimus, necesse est vt carnem, & sanguinem, quibus ille constat, sumamus: atque ita fieri, vt illi præcepto satisfaciamus, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis.

Quoniam verò in contemptum Ecclesiæ, propria plerique auctoritate calicem rapuerant, decreuit sancta Synodus, ne quis in posterum tam temerè audax esset, vt sine Ecclesiæ facultate calicem biberet, sacerdotes semper excipiuntur, cum sacrificium offerunt. in quam sententiam sancta Synodus doctis, atque grauibus rationibus adducta est, quas sciens, atque prudens prætermitto: quoniã de hac ipsa re sunt ab alijs scripta multa. confirmauit hoc decretum Synodus Tridentina anno superiore proximo. quamobrem cum vsus alterius speciei, tàm antiquus extiterit, vt multæ (quod dixi) prouinciæ, nullum alterum usquã agnouerint: quod de Polonia

ſua narrat sãctitate et litteris clarus Oſſius Cardinalis in lib. quem de Cõmunione ſub vtraque ſpecie inſcribit. narrat etiam Cromerus de rebus geſtis Polonorum differens: ego non video, qua fronte, vt nouitium inuentum, Communionem ſub altera ſpecie, hæretici derideant: præſertim, cum Lutherani Confeſſionis Auguſtanæ auctores in cap. de Communione ſub vtraque ſpecie ignorare ſe dicant, quando, & quo auctore hic mos mutatus ſit. ſi enim tàm recens inuentum hoc eſſet, quàm Proteſtantes volunt, conſtare facile, quando cœperit, poſſet. et Ignatius Apoſtolorum contemporaneus in Epiſt. ad Eph. Chriſti fideles ait, ſub ſpecie panis Euchariſtiam accepiſſe, nulla interim calicis facta mentione. Ambroſius quoq; lib. de ſacramentis, & Greg. lib. 3. Dialogorum Conc. etiam. Rhemenſe, & Agatenſe: imo uerò Chriſtus ipſe, quod docemur illis uerbis Lucæ 24. cap. & factum eſt, cum recumberet cum eis Ieſus, accepit panem, et benedixit, ac fregit, & porrigebat illis, ac poſt paulò, & aperti ſunt oculi amborum: & cognouerũt eum in fractione panis, ſub altera tantum ſpecie porrexiſſe conſtare uidetur: quemadmodum explanat Aug. lib. 3. de conſenſu Euangeliſt. Chryſoſt. hom. 17. Theophilus, et Theophilactus Commentarijs in locum citatum. conſentit nobiſcum Luc. 2. cap. Actorum. cum autem in Concilijs gene-

generalibus hic usus probatus sit, commẽdatus, & praeceptus, nescio quo pacto temerè introductum esse dicant. & cùm plusquàm septingenti Episcopi doctissimi, & sanctissimi viri, qui, praeter innumeros Doctores, his synodis interfuerunt, hanc formam suscipiendi Eucharistiam in Ecclesia retinendam esse statuerint, impudentissimè faciunt, qui illam aliquo modo damnant: aut potius, qui non libenter amplectuntur.

Persimile est, quod de imaginibus narrant Protestantes hoc loco: & statuas per contẽptum uocant: sicut eos homines, qui sunt in sanctorum numerum relati, dijs nascentibus, atque occidentibus similes esse ferunt, magna impudentia, aut potius impietate. sed usus imaginum in Ecclesia uetustissimus est, neq; recens putare, nisi ineruditus possit, per easdem à Deo Opt. Max. destinatis locis, patrata esse multa, & stupenda miracula. unum illud recensebo, quod multorum instar esse possit, nam rem persequi longius animus non est, neque id inficiari haeretici ualent, est enim ab Athanasio litteris mandatum, & ad nos usq; transmissum in libro, cui titulum facit, de passione imaginis Christi. narrat ille a Nicodemo imaginem Saluatoris ex ligno confictam esse: cum autem in beritho, in manus Iudaeorum incidisset, & uellent rursum agere in eadem per contemptum passionem Christi, ac lancea eorum

qui aderant, quidam imaginis latus aperuisset, sanguinem, atq; aquam emanasse, quibus, vt antydoto maximè præsentaneo ad depellendum quoduis morbi genus Iudæi illi sunt vsi. et vi miraculi permoti, perfidia abiecta ad Christianismum transierunt. id si cui satis nõ est ad exuendam peruersam de imaginibus opinionem, legat acta secundæ Synodi Nicenæ, vbi repetitis multis antiquorum patrum testimonijs, & productis in mediũ magnis rationibus, hæc ipsa, si qua est, de imaginibus controuersia planè dirimitur. legat sancti Ioannis Damasceni Apologeticos libros tres, aduersus eos, qui sanctas imagines traducunt: legat librum sancti patris Theodori de honore & adoratione sanctis imaginibus exhibendis: legat denique contra Iconomachos, Tharasium.

Cur nos imagines adeamus.

Neq; verum est quod aiunt, in omnibus difficultatibus, nos, ad imagines confugere, tanquam ad Deum. adimus sanè easdem: sed vt memoriam sanctorum refricemus: qua vsurpata erga sanctos accendamur affectu, solicitemusq; heroas illos, quos Deo charos, atque amicos scimus extitisse, & apud eundem in æthereis sedibus quietam, tranquillam, atque omni iucunditate & lætitia affluentem agere uitam, vt nos eorum patrocinio, quod canit Ecclesia, ab instantibus malis, & a morte perpetua liberemur: hoc

hoc ipsa sacra scriptura, Apostolicis traditionibus, Pontificum, Conciliorum, & sanctorum patrum scriptis facere docemur.

Ecclesia, inquiunt, etiam si Canones haberet in Synodis conditos, in nouis Concilijs, & controuersiis, semper vsa est sacra scriptura canonibus reiectis. in hanc sententiam vtuntur Augustini testimonio, qui sacrosanctam Synodum Nicenam passus est ab haeretico reijci, & flagitat, vt solius scripturae gladio decertetur, illis verbis, neque ego Nicenum, neque tu debes Ariminense, tanquam pium praeiudicaturus proferre Conc. neque ego huius auctoritate, neq; tu illius detineris: scripturarum auctoritatibus, nō quorumcunque proprijs, sed vtrisque communibus testibus, res cum re: causa, cum causa: ratio, cum ratione conferatur. 25. Positio.

Paucis his verbis, multa continentur ab omni veritate abhorrentia. illud in primis, quòd Ecclesia ad dirimendam controuersiam, & componendam litem semper in Synodis vsa sit sanctarum scripturarum testimonio. August. Epistola 9. ad Ianuarium, sic ait: illa quae non scripta, sed tradita custodimus, quae toto terrarum orbe seruantur, datur intelligi ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri. quibus verbis testatur, plenarijs Cōfutatur.

In Conc. sine scripturae sacrae testimonio mos est, aliquid definire.

O 4 rijs

riȷs Synodis aliquid decerni posse, sine sacra scriptura.

Lib. 6. contra Donatistas de beato Cypriano differens, qui baptizatos ab hæreticis, baptizari iterum volebat, ipsam Ecclesiam, inquit, simul cum Concilio, eius hac parte damnasse sententiam. neque mentionem vllam infert sanctarum scripturarum, aut in eisdem locus est vllus vnde huius rei fidem facere possimus.

Concilium Nicenum primum, sine vllo scripturæ sacræ testimonio, aduersus Arrianos verbum Dei, Homusion esse cum patre definiuit.

Huc spectans Athanasius in Epist. de Synodis Arimini, & Seleuciæ, cum ea voce Arriani offenderentur, quæ non reperitur in sacris libris, nihil id refert, inquit, si quis voces in scripturis non repertas, vsurpet, quandiu pias sententias complectitur.

Hylarius de Synodis aduersus Arrianos, cũ illi clamarent, non oportere nouas voces proferri, non debere præter scripturas quidpiam recipi, male inquit, sanctis rebus præiudicatur, si, quia non sanctæ à quibusdam habentur, esse non debent.

Athanasius iterum loco citato: desinite, inquit, causificationibus istiusmodi contra patres grunnire.

Hylarius etiã cum induxisset Constantinum loquen-

loquentem lib. 1. aduersus eundem, nolo uerba, quæ non scripta sunt, dici, dic, inquit, prius, si rectè dici putas.

Ex quibus omnibus illud apertum est, non semper in Synodis, sanctos patres sacrarum litterarum locis vsos esse.

Secundo falsum est etiam quod aiunt, non consueuisse patres uti decretis et canonibus aliarum Synodorum, in Concilio: nihil est enim tam frequens, quàm probari ab vna Synodo, alterius decreta. atque his ipsis, si quando opus sit uti tanquam probatis & cognitis principijs rerum dicendarum: quod in disciplinis liberalibus accidere videmus. id, quoniam cuiuis obuium, atque expositum est, exemplis illustrare superuacaneum puto, quæ passim multa nobis suppetũt.

Vna Synodus alterius decreto uti consueuit, & iure.

Tomo primo actionis. 6. Synodi secundæ Nicenæ agens sancta Synodus de Canonibus. 6. Synodi, sic ait.

Sacra sexta, & vniuersalis Synodus postea quàm sententiam suam de vna voluntate Christi sub Constantino, qui per ea tempora Imperium administrabat, pronunciasset, contigit Imperatorem de uita decedere: Iustiniano autem eius filio Imperium assumente iterum vnanimiter omnes diuina voluntate, post quattuor, aut quinque annos congregati, de rebus Ecclesiasticis, statusq; earum correctione, circiter duos & centum

centum Canones edidere. ſubiungit, in quorum 82. de imaginibus ſic tradiderunt, & vtuntur decreto eius patres, quod incipit,

In quibuſdam venerandarum imaginum picturis, agnus digito præcurſoris indicatus, &c.

Illud amplius, non ſemel in ſanctis Synodis ſtabilitum eſſe, conſenſu patrum, & voce ſpiritusſancti, vt firmam habeant auctoritatem in Eccleſia traditiones, & Conciliorum decreta: Act. 7. Synodi 7. gener. fatemur vnanimiter nos Eccleſiaſticas conſtitutiones, ſiue ſcripto, ſiue conſuetudine valentes, & decretas retinere velle.

August. qua ratione intelligendus ſit, Epiſt. 9. ad Ianuarium.

Tertio, perperam adducunt in ſuam ſententiam Auguſt. quaſi ille reſpuerit Nicenum Concilium vt ad ſacram ſcripturam confugeret, atque eius vnius teſtimonio, & auctoritate pugnaret. ille etenim minime recuſauit cum Arriano diſputare auctoritate Niceni Concilij, quòd illud contemneret, plurimi ſiquidem Conc. Nicenum ſemper, vt par eſt, fecit: nam & locis citatis pium Conc. appellat. neque inquit, ſe non teneri eius auctoritate, quòd inde argumentum accipi non poſſit ad definiendam quæſtionem de fide, ſed Concilij eius quod ab hæreticis Arimini fuerat congregatum. imo verò inſinuat teneri ſe Niceni Concilij auctoritate, contra quã Arrius faceret, aduerſus quem diſſerebat, atque eò lo-

Ca. 4. lib. 3.

co

co vindicare Niceni Concilij dignitatem studet contra Maximum Arrianum, quia paulò inferius sic ait.

Hoc est illud Homusion, quod in Concilio Niceno contra Arrianos hæreticos à patribus Catholicis, auctoritate veritatis, & veritate auctoritatis confirmatum est.

Sed quoniam Arriani nolebant admittere Concilium Nicenum, in quo ipsorum hæresis fuerat damnata, ne pugnam detrectaret, si Concilij Niceni auctoritate grauari se cerneret aduersarius, admodum prudenter, vt solet, August. ait, eius se auctoritate, in ea disputatione cum Arriano agere nolle. agendum si quidem est, inquit, non alterius partis proprijs, sed vtriusque communibus.

Licet autem dicat Augustinus, auctoritate scripturarum, quæ non sint alterius propriæ, sed vtriusque communes agere velle, minimè sanè censet, solis sacris litteris agendum esse: nam præsenti loco, scripta patrum, scripturas vocat: quæ vtrinque probentur. & si sacras dicat, præter illas communibus testibus locum relinquit: cum ait, rem, cum re: causam, cum causa: rationem, cum ratione esse conferendam.

Deinde sine vllo delectu, multa & varia sanctarum scripturarum accumulant testimonia, vt efficiant, solis sacris litteris in Synodo agendum Positio 26. Positio 27.

dum

dum eſſe atque etiam in omni de religione, iudicio. hæc nos ſigillatim percurramus oportet, vt aduerſarij intelligant, horum pleriſque non modo non lædi, ſed magis noſtram confirmari, ſententiam.

Cap.3. 2.Epiſt. *Primum, inquiunt, beatus Paulus ad Tim. ſcribens: tu vero, ait, permane in his quæ didiciſti, et credita ſunt tibi, ſciens à quo didiceris, & quòd ab infantia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem, per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu. ecce inquiũt, Paulus ait, poſſe inſtrui Timotheum ad ſalutem ſacris litteris. illæ igitur per ſe ſatis ſunt: neque vlla alia re eſt opus.*

Senſus loci. *Nihil tamen hoc teſtimonio conficitur aduerſum nos: imo verò inde colligere licet præter ſacram ſcripturam alia re opus eſſe. Nam cum Paulus dicat, ſciens à quo didiceris, illum iubet habere curam, non ſcripturarum modo, ſed eius etiam interpretationis, quam acceperat, iuxta illud, quod dixerat, tu autem aſſequutus es meam doctrinam. inſtitutionem, propoſitum, quare non excludit Paulus traditiones. neque præſidia cætera benè intelligendi ſacram ſcripturam quæ in Eccleſia conſequentibus temporibus, futura eſſe planè cernebat. quibus omnibus, tametſi, nos ad æternam ſalutem atque uitam conſequendam magnopere iuuari poſſe uideret, ſalutem noſtram ſcripturis ſacris tanquam fonti,*

atq;

atque origini tribuit, excludit autem errores, quos etiam eo tempore aduersus Euangelicam doctrinam seductores quidam hæretici spargebant. neque solum scriptura posse instrui Timotheum Paulus ait, sed per fidem Iesu Christi. nisi enim perfecta fides adsit quæ cum charitate coniuncta est, qua aduersarij nostri prorsus destituuntur, sacræ scripturæ minimè nos ad æternam salutem perducent. et cum Paulus duo illa memorat, quæ didicisti, & credita sunt tibi, ac discere, scriptis soleamus, credita uerò illa esse dicantur, quæ commendantur sine scripto, præter scripturam sacram, quæ Euangelica historia, & Apostolicis libris comprehensa est, putat Apostolus etiam esse necessarium, si ad salutem instrui cupimus, atque illam consequi posse omnino speramus, ut permaneamus in his, quæ nobis credita sunt, hoc est, traditiones seruemus, quas Apostoli commendare suis auditoribus consueuerunt. ut iam uestram sententiam uerbo Pauli, quod à nobis perperam, dum aliorsum citatur, quàm dictum sit, confutatam aut potius iugulatam meritò existimare debeamus. nam quæ homines audiendo docemur, ea nobis credita esse dicuntur, ut aiebam: scripta uerò, non hominibus, sed chartis potius, iuxta uulgatam normam Latini sermonis commendantur. instituere etiam sacræ litteræ ad salutem dicuntur

tur, quoniam in genere atque uniuersali quadã ratione, sicut doctissimi nobis uiri tradiderunt, omnia, quæ ad salutem consequendam sunt necessaria, in eisdem continentur: quæ deinde traditionibus Apostolicis, Pontificum, & Conciliorum decretis, atq; patrum scriptis in partes explicantur, & plana atq; aperta scrupulosè, minutatimq; redduntur.

2. ad Tim. cap. 3. Locus explanatur.

Citant etiam aduersarij illud Pauli 2. ad Timot. cap. 3. omnis scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, frustra igitur quidpiam quærimus præter ipsam scripturam, maximè cum Paulus addat, ut perfectus sit homo etc.

Scriptura sacra quæ nã sit.

Respondemus primum, non appellari scripturam diuinitus inspiratam eam modo quæ sacris libris comprehensa est, sed eam etiam quam Ecclesia docet: traditio suppeditat, & Concilia œcumenica constituunt. hæc etenim doctrina sine inspiratione sancti spiritus non sit: atque ob eam rem diuina, & sacra passim appellatur.

Deinde licet ea tantum inspirata diuinitus scriptura dicatur, quæ sacris est libris comprehensa, nihil habent contra nos aduersarij: solum enim ait Paulus, utilem esse eam. quare non rectè colligi potest, omnia sacris literis contineri, præsertim sigillatim, & in specie.

Instant

Instant adhuc, illis saltem uerbis, vt perfectus sit homo Dei, atque ad omne opus bonum instructus, colligitur sententia nostra: nam si sacra scriptura hominem perficit ad omne opus bonum, nulla alia re opus est. Instantia.

Nos uerum id esse dicimus: sed non propterea traditiones reijciuntur: imo uerò ipsa scriptura sacra instuuit nos ut traditiones sequamur. quare perfectus nusquam erit homo nisi traditiones amplectatur. traditiones uerò tenere iubemur 2. ad Thess. 2. 1. ad Tim. 6. 2. ad Tim. 2. & 3. 1. ad Corinth. 11. 2. Epist. Ioan. cap. ultimo. Actorum. 16. Confutatio

Rursum citant Pauli locum cap. 15. ad Rom. sed deprauatè, & corruptè, nam pro eo quod Paulus ait, quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus, illi legunt, scripturam propter nos scriptam esse, & nos per eius consolationem, aut instructionem certam spem uitæ habere posse. at ex citatis Pauli uerbis non potest conuinci propositum ab aduersarijs: nam ut libenter fateamur, quæ sunt scripta, ad nostram esse doctrinam scripta, neque traditiones ullo pacto excluduntur, neque ullum ex præsidijs reliquis, quæ commemoraui, cum hæc non sint impedimento quo minus scriptura nos sacra doceat, instruatq́, sed magnopere Locus Pau. ad Ro. 15.

pere

pere potius iuuant, ad id præstandum.

Non minus deprauatè ac uitiose ab his citatur Ioan. testimonium ad calcem Euangelicæ historiæ: sic enim aiunt, Ioannes Euangelista docet, Christum penè infinita concionatum esse, sed illa quæ ipse scripserit, sufficere ad informationem ueræ fidei, & æternam animarum salutem.

Locus Ioã. ultimo.

Ioannes uerò hæc profert uerba, sunt & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, neque ipsum arbitror mundum capere posse, eos qui scribendi sunt libros. quibus iuuari minimè possunt aduersarij. quinimo cum Ioannes dicat, sunt & alia multa, quæ fecit Iesus, & iuxta uulgatum axioma, omnis Christi actio, nostra institutio sit, haud dubiè traditiones Euangelista commendat, quibus illa retineantur, quæ à Christo facta sunt, quæ minimè fuerint literis comprehensa: ut iam non debeamus his esse contenti quæ scripta sunt, sed necessario admittere ea etiã debeamus, quæ continenti serie, a Christo ad Apostolos, ab Apostolis, ad auditores suos, ab his denique ad nos usque per manus peruenerunt: ita dispensante cœlesti spiritu, qui Ecclesiæ perpetuò adstat, illamq́ gubernat.

Locus Deuteronomij.

Postremò sic instant, in Deuteronomio mandat Deus ut liber quidam sanctarum scripturarum conficiatur, cui neq; addi quidpiam, neque detrahi possit.

Fate-

Fatemur hoc uerum esse, quod de Euangelio Christi Paulus confirmat. cæterum, qui traditionibus utuntur, neque addunt quidpiam sacris litteris: neque detrahunt, sed illas interpretantur, & quæ uniuersè fuerant scripta, per partes explicant: quod faciunt sanctarum scripturarum auctoritate, quibus commendantur nobis traditiones: & præcipitur, ut eas obseruemus.

Duabus simul positionibus superiori oratione satisfecimus, iam 28. aggredimur. 28. Positio.

Obijciunt hæretici, pluris nos facere Ecclesiam quàm scripturam sacram, quòd August. dixerit Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ moueret auctoritas, cum interim ignoremus quid sit Ecclesia. Confutatio

Cæterum hæretici isti non aliunde quàm ex felle constantes, quod quidam prudentissimè inquit, tantum est in illis amarulentiæ, pessimè omnium iudicio facere videntur dum de nobis ita loquuntur. tum quia nihil est apud nos tam benè ac firmiter constitutum, quàm esse in terris Ecclesiam, sanctam, Catholicam & Apostolicam, quam in Symbolo agnoscimus & confitemur: tū etiam quid illa sit. est enim omnium Christi fidem, & doctrinam profitentium vniuersitas. quam Christus Petro, eiusq; legitimis successoribus pascendam, & gubernandam commisit. hæc multis eximijs dotibus, promissionibus, &

beneficijs à Christo illustrata est: qua nihil habet charius in terris. hanc ornat, seruat, defendit. hæc est eius domus, in qua filij gignantur, nascantur, adolescant, instituantur, exerceanturq́; . hæc est columna & firmamentum veritatis, vt de eius doctrina non dubitemus, quæ tanquam magistra, custos, atque interpres veritatis fidem, & auctoritatem inuiolabilem obtinet. fundata est super firmam petram, vt minimè dubitemus stabilem, firmam, & inconcussam perpetuò duraturam. sanctissima hæc ciuitas est, & posita supra montem, vt omnibus conspicua, & aditu facilis esse posset: neque ea relicta quispiam pestiferas speluncas, & latebras sectaretur, insanisq́; illis vocibus, ecce hic est Christus, ecce illic: perculsus ab ea diuerteret. hanc nobis in canticis scriptura ponit antè oculos, atque commendat, Christi amicam, sororem, atque sponsam vnicam. pro hac redimenda, mundanda, congreganda, sanctificanda, & adiungenda sibi, omnia Dei filius & fecit, & pertulit, vitam etiam suam cum sanguine dedit. pro hac orauit atque obtinuit, vt eius fides, vnitas, firmitudoq́; nunquam desideraretur: huic promisit, & fideliter transmisit, reliquitq́;, doctorem, præsidem, & rectorem Paracletum spiritum. hæc est Ecclesia, (si ignoratis ò hæretici) quam agnoscimus, colimus, audimus, sequimurq́;

quimurq́, cuius caput & rector Pontifex Romanus est, præsules, membra præcipua, cæteri Orthodoxi atque fideles, membra reliqua: ex quibus omnibus vnum perfectissimum corpus efficitur, cui ad beatam vitam agendam nihil vsquã deesse queat.

Heu quantò illud ucrius aduersus vos dici possit, quòd ignoretis omnino quid sit Ecclesia: quod vel illo vno argumento planè conuincam: quia cum vera rei notio, eius definitio sit, & vnius rei vna duntaxat fingi possit Germana & legitima definitio, quæ rei naturam explanet, Arist. iudicio in Top. non dubium est, quin vobis prorsus obscura atque ignota Ecclesia sit, quando aliter illam Martinus definit, aliter Philippus, aliter Pomeranus, Bullingerus aliter, aliter denique Pelicanus, quod uestra scripta planè docent. neque quantumuis laboretis, monstrare nobis possitis, harum uestrarum Ecclesiarum successionem, quæ à Christo originem ducat, qui Ecclesiæ Christianæ Princeps, auctor, atq; sponsus est; qui illam sua vita redemit, & sanguine diuino lauit in cruce, vt candida esset, immaculata, & formosa nimis. edite, lubet dicere cum Tertulliano de perscriptionibus hæreticorum, uestrarum Ecclesiarum origines, edite Episcopos, edite primates, & maiores, denique & successores perpetuos, certum est, inquit ille, vt verbum

Hæretici ignorant quid sit Ecclesia.

domini æternum est, ita ministros habere perpetua deriuatione sibi succedentes: vos autem nullos nobis antiquos vestros patres monstrare possitis, nisi qui iudicio magnarum Synodorum damnati iam sint, & quorum doctrina tanquam impura, notha, atque Euangelio Christi contraria olim à magnis viris explosa, & reiecta sit. Arrium dico, Manicheum, Priscilianum, Dioscorum, Hieronymum Pragam, Uuiclefum, atq; alios id genus, monstrosos Euangelij partus, aut abortus potius.

Notæ Catholicæ Ecclesiæ.

Nos quidem apertas notas atque indicia habemus, quibus Ecclesiam Christianam nostram esse, proculdubio possimus agnoscere, & à uestris Synagogis separare: uos non obscura modò, sed etiam incerta, pro planis, atque certis sequimini. primum enim uniuersalis Ecclesia apud nos est, & quæ non uni, aut alteri orbis parti nota, sed per uniuersum orbem potius diffusa sit: cuius Regius Propheta Dauid mentionem fecit cũ ait, in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum: iuxta quod quidẽ uaticinium Apostolis præceptum est, ut abirent in uniuersam terram prædicaturi Euangelium. vestræ autem Ecclesiæ uno, aut altero terræ angulo continentur, in quo tãquam in speluncis, uos fidei hostes iurati delitescitis: uelut ex insidijs rem acturi. Corpus Christi Ecclesia est, inquit Aug.

Psal. 15.

Matth. ult.

Comment. in Psal. 55.

gust. non ista, aut illa, sed toto orbe diffusa. At non perinde accidit uestris Ecclesiis. quod beatus August. de Donatistis differens aiebat, identidem ego uobiscum agens meritò possim dicere, auferantur chartæ humanæ, sonent uoces diuinæ. edite mihi unam scripturæ uocem, quæ pro nobis stet: audite innumerabiles pro nobis. prope omnis pagina nihil aliud sonat, quàm Christum, & Ecclesiam toto orbe diffusam. uos uerò, si interrogemini, ubi nam in scripturis uestri mentio fiat, aut obmutescetis omnino, aut necesse est dicatis, de Pseudoapostolis, Pseudoprophetis, Pseudoeuangelistis, & seductoribus crebrò fieri in sacris litteris sermonem, qui ad uos sine dubio pertineat. Psal 101.

Deinde nostra Ecclesia uetusta est, antiqua est, & simul cum noua lege, & Christi morte nata: imò uerò ab initio mundi: quando ut Eusebius Cæsariensis scribit, omnes quot quot ab uniuersitatis ortu, atque primordijs salui facti sunt, Christiani sine dubio censentur: a fide Christi, aut exhibendi, aut hominibus exhibiti. quasi ad unam omnes atque eandem Ecclesiam pertineamus. hæc est enim Ecclesia, quam Paulus inquit Christum dilexisse, & pro qua tradidisse semetipsum ait. Vestræ uerò Ecclesiæ, aut heri, aut nudius tertius ortæ sunt: neque memorare nobis possitis antiquitatem ullam. Cap. 1. lib. 1. hist. eccl. Eph. 5. cap.

Nostræ Ecclesiæ fides, atque mores, cum fide, & moribus, qui omni loco, atque omni tempore in pretio habiti sunt, sine dubitatione consentiunt, ut ob eam rem, magna quadam ratione Catholicæ Ecclesiæ partes censeri debeamus, vestra vero fides, moresq; uestri, cum ab antiqua fide, & veterum patrum institutis viuendi absint quàm longissimè, nemo est, qui meritò possit existimare, vos, ad Ecclesiam Christi pertinere.

Ecclesia nostra sponso suo, veroq; Pastori per omnia paret: atque eius præceptis obtemperat:
Cap. 5. *vera igitur censenda est, iuxta illud Ioan. oues meæ uocem meam audiunt. vestræ Ecclesiæ omnia bona opera de medio substulerunt, ieiunia et corporis castigationes negant, atq; una fide contentæ sunt.*

Priuatæ Ecclesiæ nostræ, & singulorum pastorum oues vni supremo pastori, & uniuersali Ecclesiæ subduntur. illam reuerentur coluntq;,
Prou. ca. 1. *iuxta sententiam Salomonis, audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. qua vna re maximè, ut par est, legitimæ esse deprehenduntur. at vestræ Ecclesiæ vniuersali reluctātur, & cum matre omnium Ecclesiarum Romana inquam Ecclesia pugnant. spuriæ igitur, atque ex adulterio natæ censendæ sunt.*

In vniuersali præterea & Catholica Ecclesia vniuersa benè composita, & ordine disposita sunt,

ſunt, neque partium eius munia, & officia confunduntur, cum ſit inſtar corporis cuiuſdam uarijs atque diuerſis membris compacti. quemadmodum verò in humano corpore, ſingula ſingulorum ſunt officia membrorum, miro quodam ordine munijsq; diſtincta, ita in hoc myſtico corpore Chriſti, alia ſunt Epiſcoporum, alia Principum, alia plebis munia: Epiſcopi regunt, cæteri reguntur: Epiſcopi paſcunt, reliqui paſcuntur, ſed vos officia ſingulorum confunditis, dum omnes ſacerdotes eſſe vultis, & quod eſt Epiſcoporũ, priuatis hominibus tribuitis. ueſtræ igitur Eccleſiæ, proculdubio ad uniuerſalem, & Catholicam referri non debent. Iam verò Eccleſia Chriſti miraculorum claritate conſpicua eſſe debet, quorum efficiendorum facultatem Apoſtolis fecit, vt eiſdem, doctrina, quam prædicabant, corroboraretur. qualia, plurima in Eccleſia noſtra tùm priſcis, tum etiam his temporibus patrata eſſe ſcimus. at in veſtris ſinagogis nullum ſimile legimus contigiſſe, niſi, quod ipſa experientia ſubitò redargueretur. quare nulla nota ueræ Eccleſiæ, in ueſtris ineſt: atq; ideò præter rationem nobis, quòd ignoremus quid ſit Eccleſia, obijcitis, cum ea uobis prorſus ignota ſit, quæ nobis admodum nota atque perſpecta eſt. Scrutamini ſcripturas, obſecro uos, haud dubiè mẽtem iſtam errore, atque tetra caligine obductam prorinus

Rom. 12.

Marci ult.

exuetis, sed quoniam de ecclesia, partim à nobis in oratione de primatu Petri, partim ab alijs doctissimis, et grauissimis hominibus longè lateq; disputatum est, eò nostrum sermonem referamus, unde digressi sumus.

Nos quidem minimè affirmamus, quod vestro more, nobis obijcitis, Ecclesiam esse supra Scripturam: fatemur tamen, Canonicos libros ab ipsa Ecclesia nos habere. quod vsqueadeò verum, ac certum est, vt nisi Ecclesia sacros libros à prophanis discreuisset, atque eorum auctoritatem diuinam esse declarasset, nullos omnino libros Canonicos haberemus. hoc est quod nos affirmamus, quod etiam testatus est Augustinus citato loco. neq; enim vlla alia ratione adducti, credimus Euangelium Matthæi, ver. g. Scripturam sacram esse, non Euangelium Nicodemi, aut Bartholomæi, nisi quòd ita dixerit Ecclesia: cui fidem habemus summam. nisi enim Ecclesia diceret, quod aduersarij etiam hoc loco aiunt, hos esse sacros libros, posset aliquis sine culpa sua suspicari scriptos esse ab aliquo impostore, aut homine incertæ fidei: hoc, vbi constitit Ecclesiæ testimonio, sacri libri diuinam habent auctoritatem, ac sunt supra ipsam Ecclesiam: nam docēt Ecclesiam esse, & quæ eius vis sit. sed prætermissis de hac re plurimis, quæ persequuti sumus, cum aduersus Montanum disputaremus, hanc

Contra Episto. fundamenti.

Catho-

Catholicam assertionem statuimus.

Catholica fides illã sacram scripturam agnoscit, quæ continet noui & veteris instrumenti libros, neque modo illos (quod aduersarij asserunt) de quorum auctoritate nusquam in Ecclesia dubitatum est, sed quos ab spirituſancto editos agnoscit, ac veneratur Ecclesia. par autem est omnium sacrorum librorum auctoritas, siue illi ab initio cogniti fuerint, siue deinde, ætate procedente, illos acceperimus. est enim diuina: qua nulla cogitari possit maior.

Illud sacrilegè admodum, atque stultissime dicunt.

In hoc genere, non tantum Ecclesiæ credimus, sed & Mahumeto, & Turcis, & Iudæis, de nouo Testamento.

Lubet exclamare: ò vocem indignam hominibus, qui Christiani dici volunt: ò Barbaram, inhumanam, & impurissimo Turca dignam. parem faciunt hæretici Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem, Mahumeti sententiæ, etiam ad asserendum, & conuincendum Canonicos libros esse diuinos. quid obsecro, luci cum tenebris? quid Christo, cum Belial? quæ deniq; pars fidelis cum infideli? quasi verò, aut Turca, aut Mahumetus, aut Iudæus, non potius infringere sacrarum scripturarum auctoritatem laboret, quàm vt eisdem, vel minimam conferre velit, aut valeat?

leat? quòd si Mahumetus auctoritatem habet efficiendi libros sacros, erit Alcoranus, Canonicus, atque diuinus liber: & qui illi credunt, non magis, quàm qui credimus Euangelio, peccabunt: imo verò quemadmodum nos peccamus, cum existimamus, non esse sacros libros quos habet Ecclesia, & tradidit nobis, ita quoque peccabunt Mahumetani, nisi idem sentiant de Alcorano. nunquid vobis ita leuis Ecclesiæ auctoritas esse videtur, vt cum auctoritate vilis et perditi homuncionis illam conferatis? temperate, obsecro, linguam vestram: neque tàm stultè, atque insolenter de Ecclesia Christi sentiatis, iudicetis, atque etiã sententiam vestram proferatis.

29. Positio. Ferunt aduersarij nos dicere, de sacris litteris non admodum magnificè esse sentiendum, quoniam eas sæpenumero citãt hæretici: ex eisq; omnes hæreses ortum habent: quod est quoddam blasphemiæ genus.

Cõfutatur. Sed impudenter mentiuntur, et errant, cum ferunt parum nos de sacris litteris, & Canonicis scripturis magnificè sentire. nos etenim maximo in pretio sacras litteras habemus, ac plurimi eas facimus, quas certò scimus ipsissimum esse verbum Dei: eisdemq; arcanas salutis nostræ rationes contineri. tametsi asseramus illis perinde hæreticos ac Catholicos agere, & fontem esse vnde hæreses omnes haustæ sunt: quod apertum indiciũ,

et argumentum est ingentis earum obscuritatis: alioqui, ego non video quo pacto vtrisque contendentibus seruire possint.

Cæterum quòd hæretici scripturas citare soleant atque eisdem aduersus Catholicos agere, testantur planè, tum veterum, tum etiam recentiorum scripta, plena sanctarum litterarum locis perperam explanatis: & in peiorem raptis partem. sed quoniam res aliquo modo per se obscura non est, ac de eadem, cum aduersus Montanum disputaremus, non nihil diximus, prætermissis locis, in quibus se aduersarij hac ratione gerunt, Tertullianum loquentem audiamus, is etenim de perscriptionibus hæreticorum disputans, sic ait. Hæretici & Catholici æquè scripturis utũtur.

Hæretici de scripturis agebant, de scripturis suadebant, scripturas obtendebant, & hac sua audacia statim quosdam mouebant: in ipso verò congressu, firmos quidem fatigabant, infirmos capiebant: medios dimittebant cũ scrupulo.

De scripturis probare studebant Iudæi, Christum Iesum, neque Prophetam esse. scrutare, aiebant, & vide, quia Propheta de Galilea non surgit. de scripturis morte dignum esse persuadere conabantur: nos, inquiunt, legem habemus, et secundum legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit. Ioan. cap. 7. Ioan 19.

Neque mirum videri debet, si serui Dominum

num moribus reddant, si discipuli imitentur præ
Matth. c 4. *ceptorem. Diabolus aduersus Iesum scripturis in eremo contendebat, dicens, si filius Dei es, mitte te deorsum. scriptum est enim, Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis, ne vsquam offendas ad lapidem pedem tuum. nihil igitur mirū est si hæretici scripturas quoque obtendant, scripturas producant, et scripturis aduersus Catholicos agant.*

Verum est etiam illud quod hæretici nobis obijciunt ex sacris litteris hæreses natas esse: atque occasionem cœpisse: quod vel Patriarchæ Lutheri verbis conuincam, qui vt scribit Ossius Cardinalis lib. 1. contra Brentium, testatur scripturam Canonicam, illud esse nomen consequutā vt liber hæreticorum appelletur. rationem reddit, quoniam ex ea originem ducunt hæreses omnes. quandoquidem scripturæ testimonio, omnes hæretici, vt ille ait, præsidio vtuntur. illo tamen sensu hæc verba vsurpamus, vt culpam omnem non in ipsam scripturam sacram, sed in eos potius qui scripturam prauè interpretantur, et ab Ecclesiæ sensu recedunt, reijciamus.

Culpa non est in ipsā sacram scripturam reiicienda.

Hylarius lib. 2. de trinitate aduersus id genus hominum agens, de intelligentia, inquit, hæresis est, non de scriptura: sensus, non sermo fit crimen.

Cyrillus Epist. 28. omnes, inquit, hæretici de scri-

ſcriptura diuinitus inſpirata colligunt erroris occaſionem, ea quæ à ſancto ſpiritu rectè dicta ſunt, ſua malitia corrumpentes: & ſuper capita ſua flammam inextinguibilem excitantes. quæ verba legimus recitata, actione 6. Synodi 7. generalis: & actione 1. Synodi Chalcedonenſis, cui eſt ea Epiſtola inſerta.

In libro rurſum ad Conſtantium Hylarius, ſcripturæ non in legendo ſunt, inquit, ſed in intelligẽdo, nõ in præuaricatione ſunt, ſed in charitate.

Nemo etenim noſtrûm hæreticos damnat, quòd ſcripturis utantur, aut ſcripturas citent, ſed potius quòd præter ſcripturas, recipiendum eſſe putant nihil: quòd prauam interpretationem ſequantur: quòd ſenſum Eccleſiæ, atque conſenſum conculcent, penes quam ſolam lux eſt, atque intelligentia ſcripturarum: quod vel Caluino teſte conuincam: is etenim Commentarijs in Epiſtolam ad Hebræos, peculiariter notandum eſt inquit, quòd non eſt extra Eccleſiam ſanæ ſcripturarum intelligentiæ lux. ipſe etiam Martinus Lutherus, in Eccleſia ſola, quam Papatum appellat, adeſſe dixit, verum ſenſum, atque interpretationem ſanctarum ſcripturarum. nam quemadmodum ſi illæ rectè intelligantur maximum momentum habent, ad veritatem docendam, atque hæreſes confutandas, ita quoque ſi perperam, ad perdendam veritatem, atque hæreſes

Quid in hæreticis damnemus.

Vera interpretatio ſcripturarũ in ſola eſt Eccleſia.

reses excitandas plurimum valent. & sicut sacra scriptura, si, ut par est, accipiatur, fons veritatis est, ita quoque, si contra quàm decet, ac par sit, certissima erroris occasio. quod enim ad Phariseos Christus inquit, erratis, nescientes scripturas: & quod in vetere lege scriptum est, populus meus perit sine scientia, non ad verba, sed ad sensum scripturarum haud dubiè referendum est. verbum crucis, hoc est Euangelium, Paulus ait, pereuntibus stultitia est: his verò qui salui fiunt, Dei virtus & Dei sapientia. scriptura sacra, quo sensu à Catholicis profertur, verbum Dei est. quo autem ab hæreticis, Diaboli verbum. ut enim habet Christus ministros suos, sic habet et Sathan. utrisq; autẽ communes sunt scripturæ: neque earum vis in legendo posita est, sed potius in intelligendo versatur.

2. Tractatu in epistolã Ioan. *Obijciunt nobis etiam Aug. qui scripturam ait, fundamentum quoddam esse aduersus errores, non autem errorum originem fontemq;.*

Accipimus verba Augustini: at eò sensu, si naturam scripturarum consideremus: atque eum finem in quem sunt à Deo Opt. Max. destinatæ: vitio tamen nostro, sæpenumero fit, ut errandi occasionem præbeant. neque contra naturam est. quòd eadem res, diuersa tamen ratione vsurpata diuerso nos modo afficiat. sat multa familiaria exempla huius rei suppetunt nobis,

nam

nam vnde venena, inde remedia prodire solent. vt qui sunt ab scorpijs icti, ab eisdem remedium postulant. & ijs quos infecit vipera amuleta præbet. quamuis autem quæ his perperam explanatis hæreses oriuntur, gladio spiritus iugulari queant, quod est verbum Dei, profectò ad eam rem, cætera quæ commemorauimus, plurimum adferunt adiumēti firmissimiq́; præsidij.

Ex his, quæ diximus hactenus, monstratum esse arbitror, ab Ecclesia Christiana, in Concilio Tridentino, dum Christiana stabilitur fides, & morum constituitur disciplina, eam formam seruatam esse, quæ perpetuis temporibus in persimili negotio obseruari solita est, aut quæ omnium maximè, in id genus quæstionibus explicandis, teneri possit, ac debeat, quicquid hæretici latrent.

DISPVTATIO SEPTIMA.

VTRVM VERA ET LEGITIma procedendi ratio in Conc. Tridentino seruata sit.

VT PERSVADEANT *Synodum Tridentinam Christianam non esse, duobus potissimum Protestantes principijs nituntur, quod admonui superius. vnum est, quòd non seruetur in ea norma quæ à Christo perscripta est, atque obseruata perpetuò in Ecclesiæ generalibus atque œcumenicis Synodis. alterum est, quòd huius normæ praxis, hoc est legitimus processus prorsus negligatur. priorem quidem incusationis neruum sagatis superq́; videmur hactenus infrexisse. aggrediamur iã alterum. in hac autem quæstione explicanda, quoniam hæretici plus solitò inani earundem rerum repetitione, atque inculcatione oblectantur, sine modo mendacia accumulant, conuitia iactant, maledicta congerunt, & denique imposturis & sycophantijs strenuam admodum nauant operam, est animus quanta maxi-*

ma

-ma possim breuitate eorum argumenta & ratio nes confutare. sed illud necesse est initio huius disputationis sumamus, quod, velint, nolint, aduersarij nobis concedant, necesse est. non oportere omnino, vt minutatim, atque scrupulosè ea his temporibus procedendi ratio retineatur in Synodis, quæ est in vetustis olim obseruata, atque retenta. nam quæ ad rei substantiam, & naturam minimè pertinent, sed accidentia rei potius dicuntur, nihil vetat, si pro rerum, temporum, locorum, & personarum varient ratione: ipsa etiam consentiente naturà, atque interdum postulante. quæ verò ad veritatem inuestigandam, & constituendam sunt necessaria, nisi accuratè seruentur, erui veritas in lucem nequaquā potest. verum aduersarij reprehendendi libidine arrepti, & transuersi acti, quænam rei intranea sint, quæ extra rem posita, non vident: atque ideò nos incusant quasi necessariam formam prætermiserimus: quod nobis quidem, singula percurrendo, indicandum est.

Sed quoniam bifariam forma negligi potest: dum inquàm Synodus cogitur. atque etiam postquam ea coacta iam est, vtroque nomine patres Tridentinos hæretici reprehendunt more suo, hoc est satis ineptè ac sine vllo iudicio.

Primum reprehendunt Pontificem, quoniam præter morem & antiquam consuetudi-

nem congregandarum Synodorum priusquàm in vnum patres conuenirent, non admonuit per suas litteras, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos omnes, vt in Synodis prouincialibus prius, de toto negotio, de quo in Concilio generali agendum erat; consultarent: & electos ex omni Ecclesia viros, Tridentum destinarent.

Cõfutatur. *In hac autem sententia duo insunt: vnum certum, incertum alterum, ne dicam planè falsum. illud certum, & constitutum est, anteaquàm Concilium teneatur à Pontifice Max. præsules omnes euocari, atque admoneri debere, quibus de rebus in Conc. generali sit agendum, vt interim de remedijs cogitent: libros euoluant, Theologos consulant, denique omnia quæ necessaria ad eam rem duxerint, instruant. atque id sanè præstiterunt multò ante Pontifices, quàm Tridenti Concilium cogeretur. hoc, si nos taceamus, bullæ à Pontificibus editæ testabuntur: hoc vnũ est, quod August. scribit aduersus Donatistas, his verbis,*

Quo modo potuit res ista tot altercantium nebulis inuoluta, ad plenarij Concilij luculentam illustrationem, confirmationemq́; deduci, nisi, prius diutius per orbis terrarum regiones, multa hinc atque hinc disputationibus, & collationibus pertractata, constaret?

Neq; dubium esse possit quin ea ratio ab Episcopis

ſcopis noſtris ſeruata ſit. tametſi hac diſputatione & collatione opus ſanè non erat, cum multò antè de hæreſibus, quæ his temporibus vexant Eccleſiam, diſputationes, & conſultationes ſint habitæ, & plurima volumina ſcripta, à uiris doctiſſimis optimisq́;.

Illud eſt incertum, atque, vt ego exiſtimo, planè falſum; concilia prius haberi prouincialia conſueuiſſe, in quibus de eiſdem rebus agendo deliberaretur, quàm generale Concil. teneatur. neque huius rei illuſtre aliquod nobis aduerſarij ſuppeditare poſſunt exemplum: aut teſtem producere fide dignum, cuius ſententia ſe tueantur. imò uerò ſi veteres hiſtorias conſulamus, eaſdē'q; uelimus diligenter euoluere, planè comperiemus, peractis generalibus, œcumenicisq́; Concilijs prouincialia teneri conſueuiſſe, in quibus acta magnarum Synodorum publicarentur, atque modus iniretur eadem mandandi executioni: & eſt hoc magnopere cum ratione coniunctum. ſed licet concedamus aliquando ita contigiſſe, cũ nullo id ſcripturæ ſacræ teſtimonio, nulla lege ab Eccleſia lata, nulla in perſimili negotio à patribus ſeruata perpetuò conſuetudine, factum ſit, nulla cauſa, aut ratione Tridentini patres hoc nomine carpuntur. Prouincialia Cõcilia, non ſolent antecedere generalia.

Secũdo obijciũt, in hac Synodo, poſtquã ea ſemel coacta eſt, nõ eſt antiqua norma procedẽdi, et fa- 12. Obiectio.

miliaris legitimis, œcumenicisq́ Concilijs seruata: quare iure optimo patres Tridentini, eorũ Synodus, actaq́ omnia, reprehendi debent. quã sententiam ut persuadeant, multa in unum congerunt ineptissima argumenta: ridiculasq́ rationes. sed quoniam sentio, uniuersas, quibus aduersum nos, hoc loco, hæretici differunt, rõnes, compendio infringi, atq; labefactari funditus posse, si eam formã, quæ modo in tractãdis his negotijs, à

Soluitur. *synodo seruatur, explicuerimus, placet in primis huius rei gustũ aliquẽ lectori præbere. cætera deinde ipsa disputatio, suo tẽpore, in aciẽ producet.*

Veritatem inquirendi, quæ forma in Concilio Tridentino seruetur.

Igitur postquam à Pontifice Maximo, de consilio Imperatoris Cõcilium indictum est, ubi admoniti Reges Christiani, res publicæ, atque Principes sunt: & præsules uocati omnes, in eum locum conuenerunt, in quo Synodus tenenda est, reliqui omnes patres cũ Legatis Pontificijs deliberant, quibus de rebus, & quo tempore, agendum sit. perscribitur omnium consensu dies, designantur quæstiones ordine discutiendæ, examinandaq́ negotia. quæstionum excutiendarum, explicandarumq́ publicè, prouincia committitur, atque cura, omnium primum doctoribus Theologis demandatur: quorum ingens copia Tridenti est (de hac enim Synodo loquor, quam

uideo

uideo ab aduersarijs nostris traduci.) ij verò (vt confusio procul absit) ratione habita antiquioris, ad doctoralem lauream, promotionis, è suggesto, quæstionem propositam exercent. et quoniam res nobis cum hæreticis est, initio, quæ sit hæresis exponunt: producunt rationes quibus hæretici nituntur, quas ex ipsorum libris, ceu ex proprijs fontibus, accuratissimè hauserunt: habita prius eosdē euoluendi copia ab amplissimis Pontificis Maximi Legatis: has, quanta maxima perspicuitate possunt, publicè memorant, atque excutiunt. id, vbi præstiterunt, assertionem Catholicam statuunt, quam in primis, si suppetat, sanctarum scripturarum corroborant testimonio: deinde ratione per ratiocinationem collecta, atq; ex sacris ipsis libris deducta, quod genus argumentandi, vbi priore destituimur, solet, ac debet valere plurimum. hinc, ad traditiones, & publicum Ecclesiæ consensum contendunt: inde ad Pontificum definitiones, Conciliorum decreta sanctorumq; patrum testimonia. vbi verò, hac parte, satis sibi atque alijs fecisse videntur, properant ad rationes aduersariorum, quas sedulò explorant, & quatenus mendaces, falsæ aut hæreticæ sunt, palam docent. idem quoque cæteri præstāt doctores: qui, cum sint plurimi, & magna ex parte doctissimi, vsqueadeò quæstionem propositam obuiam, planam atq; expositam red-

dunt, ut ab omnibus, quãtumuis rudes ac plumbei ſint, niſi communi ſenſu planè careant, percipi ſine negotio, atque intelligi queat. his diſputationibus Theologorum, quæ publicè quidẽ obeuntur, Legati Pontificij, præſules omnes, Oratores Cæſaris, cæterorumq; Principum Chriſtianorum intereſſe ſolent: ad eaſdem doctores omnes, omnes ſacerdotes, addo etiam, laici quot quot volunt, admittuntur: & ſinuntur præſentes adeſſe. nemo etenim prohibetur intrare eum locum, in quo huiuſmodi diſputationes haberi ſolent, tametſi perpetuò adſint ianitores: & custodes loci, ueluti exploratores eorum, qui Synodum ingrediuntur: ne quidpiam accidat perturbatè, aut ſine ordine, & ratione.

Peractis ijs Theologorum diſputationibus, ex omni natione atque gente ab uniuerſa Synodo, magno quodam iudicio adhibito, aliquot Epiſcopi deſignãtur, quos deputatos appellant: quorum intereſt, de his negotijs Canones conficere, de quibus ſunt à Theologis habitæ diſceptationes. qui, poſtquàm de communi cõſenſu Canones confecerunt, ſingulis illi patribus exhibentur, atque vbi per tempus, eiſdem integrum fuit, condita à delectis decreta inſpicere, ac de illis accuratè, & adamuſſim iudicare, ad quod præter priuatam eruditionem, & quorundam inſignem doctrinã, commodius, & breuius præſtandum, à Theolo-

gis,

gis, qui quæstiones iam discusserant, adiuuari plurimum potuerunt. coeunt in vnum iterum patres omnes. sed ad hos conuentus, nullis alijs aditus patet, quàm Episcopis, Abbatibus, generalibus ordinum ministris, Episcoporum Vicarijs, iure atque antiqua consuetudine. taceo Oratores Principum, qui nullis publicis conuentibus excluduntur. cæterum hoc tempore sanctissimi patres, doctoribus omnibus liberū ingressum patefecerunt: quò plures rei benè & prudenter à se gestæ spectatores, & testes habere possent. Exorsi igitur à Cardinalibus, qui Legati non sunt, (nam Legati non solent dicere de rebus propositis in his conuentibus sententiam) per Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates, ad generales ministros ordinum procedunt. in dicendo verò, quod etiam in sedendo seruatur, ratio semper haberi solet antiquioris ad Episcopatum, promotionis, de eisdem quæstionibus, quanta maxima volunt, libertate præsules omnes sententiam ferunt. adest in medio Theatri, non procul à Christi vexillo, Secretarius Synodi, vir insigni dexteritate, fide, atque innocentia præditus. excipit is suffragia, & sententias patrum: ac, ne sit vllus fraudibus locus, ubi patres sententiam dixerunt suam, exhibent illam scriptam Secretario: vt numerus calculorum iniri sine dolo malo, atque decerni possit. & quibus ar-

gumentis singuli nitantur, constare queat.

Postquam patres omnes de rebus propositis, & conditis decretis dixerunt sententiam suam, initio delecti præsules ad Canones conficiendos, viri quidem omni exceptione maiores, præsente Secretario, sententiarum rationem ineunt: conferunt suffragia: calculos numerant: ac iuxta maiorem numerum patrum, eos Canones, qui ab omnibus sunt excussi, corrigunt, atque emendant. qua re peracta iterum patres oẽs in vnum locum coguntur, vt explicent Synodo, quid de castigatis canonibus sentiant: quos aliquot antè dies, quàm in vnum venirent, Secretarius singulis patribus explorandos exhibuerat. dicũt rursum patres de eisdem, & tandiu dicunt, donec tandem concordes animos atque sententias gerant. quod vsqueadeò uerũ est, vt uiderimus quinquies, atq; etiam pluries, patres de eisdem quæstionibus deliberaturos in unum conuenisse. semper etenim additur aliquid, detrahitur ue, prout uidetur patribus expedire.

Rebus omnibus compositis iam & paratis ad vltimò ferendam sententiam de propositis negotijs, pridie eius diei cogũtur in vnum locum patres, vbi à Legatis admonẽtur, quid proximè sequenti die agendum sit, & recitantur cuncta, dicunturq; tandem de eisdem, à patribus sententiæ. atq; interim toto iam acto tempore, Legati

gati, ac præsidentes uniuersam Synodum hortantur, vt ieiunijs & orationibus vacent. confitentur peccata sua, diuinum officium frequenter celebrant. atq; id à plerisq;, viris optimis ac sanctissimis tanta intentione animi fit, vt ego non dubitem, quin Spiritus ille cœlestis in eo negotio patribus adfuturus sit, tametsi id minimè pollicitus esset, cum in nomine Christi proceres Ecclesiæ in vnum locum conuenirent, de negotijs religionis acturi. totus enim hic internus, atque externus habitus, apparatusq; spiritussancti præsentia dignissimus mihi videtur.

Tandem cum est postremò decernendum, tunc primum de spiritusancto officium celebratur: quod fit etiam ex more, solemniq; patrum cõsuetudine singulis diebus, ubi disputationes obire volunt. eò absoluto, à primo præsidente Concilij alta voce recitatur præclara et sanctissima oratio, qua patrocinium cœlestis spiritus solicitatur: quæ solet etiam singulis diebus initio tractationis publicè dici. hanc, ut animos aduersariorum miserè torqueamus, lubet ad verbum referre. ea sic habet.

Adsumus domine sanctè spiritus: adsumus quidem peccati immanitate detenti: et in nomine tuo specialiter congregati. veni ad nos: & esto nobiscum: & dignare illabi cordibus nostris. doce nos quid agamus, quo gradiamur, ostende quid

oratio, quæ initio dici à primo præsidente Côc. solet.

quid efficere debeamus vt te auxiliante, tibi complacere in omnibus valeamus. esto salus, & effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo patre, & filio nomen possides gloriosum. non patiaris perturbatores esse iustitiæ, qui summam diligis æquitatem. non in sinistrum nos ignorantia trahat, non fauor inflectat, non acceptio munerum, vel personæ corrumpat, sed iunge nos efficaciter tibi, solius tuæ gratiæ dono, vt simus in te vnum, & in nullo aberremus à vero, quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, vt hic à te in nullo dissentiat sententia nostra, & in futuro, pro benè gestis consequamur premia sempiterna: amen.

Solutis his precibus, ex pergula vnus ex patribus orationem habet, rebus, quæ tractantur, accommodatam, conuenientemq́. leguntur excussa accuratissimè, & longo tempore, atque studio confecta decreta: ad quæ, de more, patres respondent, placet, aut, non placet. nam etiam, eo tempore liberum cuique est, aut mutare propriam, aut alienæ repugnare sententiæ. quanquam cum est ad eum locum postremò peruentum paucissimi sanè vsquam reperiuntur, qui non conueniant cum patribus reliquis. & est illud proculdubio mirabile, quod nos non semel inspeximus, animaduertimusq́; diligenter & accu-

accuratè qui paulò ante in contraria erant opinione, cum ferendum vltimò iudicium est, ita repentè fuisse immutatos, vt abiecta prorsus hæresi sua, libenter in aliorum sententiam pedibus, atque manibus descenderint: vt qui præsentes aderant, & rem geri cernebant, verè illud Dauidicum vsurpare possent, hæc mutatio dexteræ excelsi est. hæc in summa illa est forma procedendi quam in Concilio Tridentino patres obseruant: in qua, ego non video, quid (vel momus carpere possit) cum in ea omnia magna quadam ratione gerantur, maiori consilio, multò maxima diligentia, atque studio. sed audiamus iam ipsos aduersarios nostros, veterem formam obijcientes: atque increpantes grauiter, quam vsurpamus in hoc sacro Concilio Tridentino. Audiamus itaque qualem praxim in hac sacra Synodo seruari dicant aduersarij, prorsus constiterit, eosdem, toto cœlo aberrare. Primum inquiunt, omnia quæ sunt agenda Tridenti, prius Romæ à Pontifice perscribuntur, et à quibusdam alijs idoneis architectis, atque eadem illa ad Synodum mittuntur, vt à patribus qui præsentes adsunt confirmentur. Obiectio.

Ego verò negare non possum, neque si possem, vellem, decreta fidei, quæ in Synodo condenda sunt, communicari multò antè cum Pontifice Romano, Christi Vicario in terris: sed hoc quidem Soluitur.

dem tanquàm crimen nobis obijci non debet. tùm, quia ratione poſtulante fit: nam cum Pontifex per ſe, ideſt, abſque Synodo, de hæreſibus iudicare queat, quod fecit hactenus ſæpenumero, atque id multis decretorum capitibus eſt definitum, etſi adeſſet ipſe præſens eius iudicium, et ſententia, de quouis negotio, iure optimo, requireretur, cur non etiam abſentis ratio habeatur? aut cur eundem conſulere non debeamus? atque ex eo, quid probet, aut improbet, intelligere laboremus? antiquis, priſcisq́; temporibus, quod eſt à me, ſubiectis exemplis, in Apologia aduerſus Montanum aliqua ex parte monſtratum, Pontifices Romani, cum extra vrbem Synodus tenebatur, celebrare Romæ Concilium conſueuerunt, vt inde, quæ agenda eſſent ad Synodum tranſmitterent: cur modo non conſuletur Pontifex? cur eius cognita atque perſpecta ſententia non ſummo loco à nobis habeatur? neque ſine exemplo veterum Synodorum fit, vt etiam ipſa Concilia, in re de qua agitur, Pontificis ſententiam requirant: quod à me paucis monſtrandum eſt.

Conc. Pontificis Max. de rebus propoſitis iudiciū requirebant, antiquitus.

Concilium Carthaginienſe petijt ab Innocentio Primo, vt quæſtionem de libero arbitrio explicatam mitteret, quod ex 25. eius Epiſtola liquido conſtat.

Concilium primum Conſtantinopolitanum pe-

tijt

tijt à Damaſo Papa, vt Orientales hæreticos damnaret, vnde in Epiſt. eius ſic ſcriptum legimus, cur igitur à me quæritis rurſus damnationem Timothei, qui, & hic, iudicio Apoſtolicæ ſedis præſente quoque Petro Alexandrinæ ciuitatis Epiſcopo, cum Apollinari ſuo doctore, damnatus eſt. neque modo hoc petijt Concilium (vt apparet) ſed et ipſe Pōtifex, cum ad ſe pertinere arbitraretur, anteàquā id peteretur, præſtitit.

Concilium Mileuitanum cui Auguſt. interfuit, Innocentium Pontificem Max. de eadem quæſtione ſolicitauit, atque conſuluit. quod docemur ſanè tùm Epiſtola Concilij ad Pontificem, tùm etiam Pontificis reſcripto ad Conc. ſic enim habet Epiſt. 26.

Diligenter & congruè Apoſtolici conſulitis honoris arcana (honoris inquam illius, quem præter illa quæ ſunt extrinſecus, ſolicitudo manet omnium Eccleſiarum) ſuper anxijs rebus quæ ſit tenenda ſententia. antiquæ ſcilicet regulæ formam ſequuti, quam toto ſemper ab orbe mecum noſtis ſeruatam. verum hæc, inquit, miſſa facio. non enim credo, hæc, veſtram latere prudentiam, quia id etiam actione firmaſtis: ſcientes, quòd per omnes prouincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa, ſemper emanant: præſertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & coepiſcopos noſtros, non niſi

ad Petrum, idest sui nominis & honoris auctorem referre debere: sicut nunc fecit vestra dilectio, quòd per totum mundum possit Ecclesiis omnibus in commune prodesse.

Damasus in Epist. 4. hanc sententiam confirmat, dicens, cuncta, quæ possunt aliquam dubitationem admittere, ad nos, quasi ad caput, vt semper fuit consuetudo, referre non desinatis. cuncta, inquit.

In tertio Concilio generali, Ephesino videlicet, Nestorius damnatus est de sententia Pontificis Romani: sic enim Conc. scribit Nestorio,

Si hoc religio tua facere distulerit (idest nisi intra certum temporis spacium resipiscas) iuxta dilationem litteris præfinitam sanctissimi, ac Reuerendissimi consacerdotis nostri Romanæ præsulis Ecclesiæ, Cœlestini, scias te, nullam sortem habere nobiscum, neque locum, cum Dei sacerdotibus, aut Episcopis obtinere.

Rursum de ea re in hunc modum loquitur Concilium. quod est apud Nicephorum cap. 34. lib. 14.

Et quoniam impiè eum, & sentire, & docere deprehendimus, necessitate nobis, à Canonibus, & sanctissimi patris, collegæq; nostri, Romanæ Ecclesiæ Episcopi, Epistola imposita, diu, multumq; lacrymantes, ad hanc peruenimus sententiam. vnde planè constat, Epistolam

Pon-

Pontificis necessitatem Concilio imposuisse, damnandi Nestorium.

In Concilio generali Chalcedonensi, definitio de duabus in Christo naturis, facta est, per Epistolā Leonis Pōtificis Romani, vt est in 2. actione eius Synodi. ea.n. perlecta patres clamauerunt,

Hæc patrum fides: hæc Apostolorum fides: omnes ita credimus, Anathema, qui ita non credit: Petrus per Leonem loquutus est.

Et est hoc sanè longe mirabilius quam quod nobis hæretici dant probro: Synodus præterea ad Pulcheriam Augustam scribens, quod tertia indicat actio, sic ait,

Christo intelligentiam prosperè dirigente, qui ostendit in Leone mirabilem veritatem, qui sicut sapiente Petro, ita & isto vtitur assertore.

Valentinianus item, & Martianus Impp. quod docet eorum Epist. quæ Act. 3. inserta est, hoc modo inquiunt,

Venerabilis Synodus, dum fidem diligenter inquirit, auctoritate beatissimi Leonis, æternæ vrbis Romæ, religionis fundamenta constituit sanctæ ciuitati, & Flauiano palmam mortis tribuit gloriosæ.

Idem scribit sancta Synodus ad Leonem. eius tamen verba consultò prætermitto, quoniam in eadem tertia actione continentur. admonuisse satis sit, quod est in ea Synodo actum, non tam sibi

bi Synodum tribuere, quàm Leoni Pontifici: à quo per litteras instructum Conc. est de quæstione fidei: & lis omnis, controuersiaq; dirempta.

Hæc præterea, cuius intulimus mentionẽ, Leonis Epistola per orbem delata à Catholicis hominibus, magna cum veneratione suscepta est: Galliæ siquidem Episcopi, ad Leonem scribunt, eius se assertioni, fideiq; subscribere, commẽdant Leonem, sedemq; Romanam. sed inter cætera hæc verba reperiuntur.

Quod nos antè oculos habentes (definitionem videlicet factam à Leone) non desinimus Deo, ac Domino nostro gratias agere, & pariter supplicare, gratulantes quòd tantæ sanctitatis, tantæ fidei, tantæq; doctrinæ Apostolicæ sedi, vnde religionis nostræ, propitio Christo, fons & origo manauerit, Antistitem dederit. quibus litteris respondit Leo, Epist. quinquagesima.

Quanti verò olim in his rebus tractandis Pontificis Max. sententia habita sit, illud indicat maximè, quòd in prima actione Concilij Chalcedonẽsis, cum clamaret Synodus vt Theodoretus eijceretur, iudices dixerunt.

Theodoretus Reuerendus Episcopus proprium recipiens locum à sanctissimo Episcopo vrbis Romæ in locum accusatoris ingressus est. vnde patiamini ea quæ sunt incepta finiri. & quamuis adhuc Concilium reclamaret, Theodoretus

doretus tamen Pontificis fultus auctoritate in Concilio locum tenuit. & cum in octaua Actione, acta iam causa Theodoreti, constituisset, eum fuisse à Pontifice restitutum, sic habetur.

Omnes Reuerendissimi Episcopi clamauerunt, Theodoretus dignus est sede. Archiepiscopo Leoni multos annos. post Deum Leo iudicauit. Actione 4. Conc. Chalc. versione noua, legimus in hunc modum, surrexerunt aliqui Episcopi Aegyptiæ regionis pro tota illa prouincia, & suam confessionem in scriptis dederunt. secundum fidem a sanctis Concilijs expositam fatebantur se credere: Epistolæ autem Leonis nolebant subscribere, & ideo magna est orta concertatio, & tumultus in Synodo, vt compellerent illos Leonis Papæ Epistolæ subscribere, aut regularem damnationem, vt excõmunicati susciperent.

Amplius adde, quòd cum in eodem Concilio causa Dioscori Episcopi Alexandrini ageretur, Conc. his verbis, Legatis loquutum est.

Petimus vestram sanctitatem, qui habes, magis autem qui habetis locum sanctissimi Papæ Leonis promulgare in eum, & regulis insitam contra eum proferre sententiam. addit sancta Synodus, omnis enim, & tota vniuersalis Synodus concors efficitur sententiæ vestræ sanctitatis.

Audite obsecro, quanta cum reuerentia al-

loquatur ſanctum Concilium Pontificis Legatos: profitentur enim patres ſe eorum ſententiæ ſubſcripturos: quid facerent, ſi Pontifex adeſſet? quo illum honore proſequerentur? damnauerunt Legati Dioſcorum, certum eſt: at in eorum ſententia hæc inſunt verba, quæ ſunt illa quidem alta mente reponẽda, quòd his doceamur, Pontificem Maximum, quaſi miniſterio Concilij uti.

Vnde ſanctiſſimus, & ter beatiſſimus Archiepiſcopus, magnæ ac ſenioris vrbis Romæ, Leo, per nos, & per præſentem ſanctam Synodum, tanquam per miniſtros, vnà cum ter beatiſſimo, & omni laude digno beato Petro Apoſtolo, qui eſt petra, et crepido Catholicæ Eccleſiæ, & ille qui eſt rectæ fidei fundamentum, nudauit eum tàm Epiſcopatus dignitate, quàm ab omni ſacerdotali alienauit miniſterio.

Hæc eadem ſententia Magni Baſilij teſtimonio cõprobatur, qui, vt eſt in Epiſt. 5. ad Athanaſium, hortatur, vt res dubia, de qua in Synodo agebatur, ad Pontificem referretur: cum inquit,

Viſum eſt autem conſentaneum mihi, vt ſcribatur Epiſcopo Romæ, vt quæ hic geruntur, conſideret: detq́; conſilium. & quoniam difficile eſt, vt Synodico decreto aliqui mittantur, ipſe ſua auctoritate in iſta cauſa vſus, non ſolum viros eligat, ad ferendas quidem itineris moleſtias idoneos, verum iuxta ad hoc quoque accommodos,

vt mansuetudine, & facilitate ingenij, eos, qui distorti & obliqui apud nos sunt, corrigant.

Ab his exemplis sacrosancta Tridentina Synodus non abhorrens impeditam illam, & difficultatis plenam quæstionem, vtrum laicis permittendus esset ab Ecclesia calicis vsus, ad sanctissimum Pontificem Pium IIII. tanquam ad Ecclesiæ caput, atque id genus iudiciorum Principem, censuit esse referendam: qui pro sua pietate, prudentia, et doctrina, quod optimum esset factu, constitueret. simul verò sancta Synodus dum id facit eorum hominum sententiam damnat, atque refellit, qui Synodum œcumenicam volũt, Pontifice Maximo esse auctoritate superiorem.

Nulla igitur causa est, cur aduersarij nostri Synodum Tridentinam reprehendere possint, quæ veterem morem, hac parte, sequuta est. si qua verò vsquã Synodus, hæc Tridentina maximè à Pontifice, facultate prædita est, ingenuè liberèq; quæuis negotia tractandi, ipso etiam inconsulto. neque semel, cum ad Pontificem ea Legati detulissent, quod vt facerent, vetere consuetudine, teneri se arbitrabantur, ægrè tulisse Pontificem certò scimus. sed hæretici contumelijs inferendis, et conuitijs iactandis plurimum assueti, occasionem maledicendi, undecunque Arripiunt: & quæ laudare maxime debuerunt, ea maximè in culpam, atque vitium trahunt.

His, quæ diximus iam, minimè contenti aduersarij, multa alia inculcant, quibus efficere uolunt, longè diuersam formam procedendi in Synodo Tridentina seruari, quàm ea sit, quæ in uetustis Synodis olim retenta est. atq; ita huius sanctæ Synodi auctoritatem imminui. & eleuari plurimum existimant. hæc nos paucis refellemus: ne quidpiam, quod ad rem pertinere aliquo pacto uideri queat, à nobis esse prætermissũ, quispiam putet.

Obiectio. *Primum obijciunt, olim decreta non pendebant ab aliquo, sed omnia in commune excutiebantur, ac de communi patrum consensu fiebãt: nunc verò omnia ab vno Pontifice pendent: qui pro arbitrio suo, ea moderatur.*

Cõfutatur. *Sed quoniam proximè à nobis monstratum est, ab antiquis Synodis sententiam rogari semper consueuisse, & in hac Synodo, plurimam in patribus libertatem dicendi sententias, & condendi leges existere, non est cur verba, respondendo huic calumniæ, prodigamus.*

Obiectio. *Secundo, inquiunt, olim patres sanctissimis iuramentis obstricti, promittebant, summa se, diligentia, veritatem inuestigaturos, & curaturos publicum bonum: nunc contra fit.*

Cõfutatur. *Hoc quoque falsum est. si quidẽ nullum nobis testẽ aduersarij, fide dignũ citare possint. qui ferat, patres, cum in vnum cogerentur, de rebus*

fidei

fidei acturi, iuramentis adstringi nouis consueuisse. nostri verò Episcopi, cum primum creantur, quod longa oratione monstraui superius, solemni iuramento constringuntur aduersus hæreses omnes: atque earum auctores, patronosq́;. ac licet antiquis temporibus non nisi iurati patres, de rebus fidei decernerent, cum semel singuli iuramentum præstiterint, superuacaneum esset, secundò ab eis, iuramentum exigere.

Tertio, olim inquiunt, præsidentes nihil habebant iuris, auctoritatis, aut actionum: sed custodes pacis duntaxat erant: ne qua seditio exoriretur: nunc præsidentes Legati, omnia pro suo arbitrio disponunt. Obiectio.

Mentiuntur proculdubio. in antiquis enim Synodis, quod docui disputatione secunda, Legati Pontificij præsidebant: & quodam modo, ad eorum nutum, omnia gubernabãtur. etenim nisi Legati iure, atque auctoritate pollerent, non diceretur in Concilio Chalced. quod meminimus paulò superius, Leo Pontifex cum beato Petro, per Legatos suos, Synodumq́;, Dioscorum damnauit. vt iam summa facultas ferendi de rebus fidei sententiam, penes Pontificem Max. qui Concilio per Legatos præsidet, esse videatur. Soluitur.

Neque rursum act. 3. eiusdem Concilij dixissent præsidentes, nostram paruitatem huic sancto Concilio pro se fecit præsidere: summus in-

quàm Pontifex Leo. & cum muneris iniuncti sibi, quatenus præsidentes essent, exponerent, minimè illam sententiam protulissent, ideoq; necessarium est, hæc quæ in medium proferuntur, per nostram interlocutionem disceptari.

Et nisi ius atque auctoritatem haberent, quonam pacto act. prima Conc. Chalced. præsidentes prohibuerunt, ne Dioscorus Synodum ingrederetur? sic. n. legimus,

Paschasinus Reuerendissimus Episcopus, & Vicarius sedis Apostolicæ, cũ in medio unà cum collegis suis stetisset, dixit, beatissimi, atq; Apostolici Papæ vrbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est, vt Dioscorus Alexandrinorum Archiepiscopus non sedeat in Concilio: sed audiendus intromittatur. subiungit, quod nos seruare necesse est.

Ultima etiam actione eiusdem Concilij tanti est habita sententia, unius Lucentij, qui Synodo præsidebat, vt ille vnus satis fuerit, ad rescindendum Canonem ab vniuersa Synodo confectum, quia patribus repugnauit: quod his verbis constat,

Lucentius Episcopus sedis Apostolicæ Vicarius, dixit, sedes Apostolica nobis præsentibus humiliari nõ debet, & ideo quæcunq; in præiudiciũ Canonũ, vel regularum gesta sunt nobis absentibus

tibus, ſublimitatem veſtram petimus, circumduci iubeatis: alias cōtradictio noſtra his geſtis inhæreat: ut nouerimus, quid Apoſtolico viro uniuerſalis Eccleſiæ Papæ, deferre debeamus; vt ipſe, aut de ſuæ ſedis iniuria, aut de canonum euerſione poſſit ferre ſententiam.

Sedare verò tumultus, & actiones dirigere, olim (quod docui) ad Imperatorem pertinebat. Legatorum igitur aliud atq; excellentius officiū in Synodo eſt: alioqui ocioſi ſpectatores ſederent in theatro: quod abſurdum eſt. præſertim cum dicantur in medio ſedere, act. 1. Conc. Chalced. & primi loqui: eiuſdem Conc. act. 8. illis verbis.

Miſſi Apoſtolici ſemper in Synodis primi loqui ſoliti ſunt.

Has eaſdem omnino partes, vſurpant Legati in Concilio Tridentino, & fortaſſe quidem, neque tam plenè, neque tam liberè quàm olim.

Olim, inquiunt, Epiſcopi per ſe ipſos cognoſcere tenebantur omnes controuerſias agitandas, et definiendas in Synodo: nunc contra fit: nam etiam libros hæreticorum, in quibus rationes contrariæ continentur, attingere prohibentur. Obiectio.

Fateor libenter in antiquis Synodis, hanc conſuetudinem, laudabilem in primis, obſeruari ſolitam eſſe, ſed nunc quoque id accuratiſſimè præſtāt patres, quod docui ſuperius, tàm exactè. ſ. vt diligenter libros omnes hæreticorum euoluerint: Soluitur.

rationes inspexerint, excusserint, atque contulerint: multò fortasse impẽsius, accuratiusq́, quàm aduersarij cuperent. tametsi non parum fastidij, atque molestiæ in ea re lectori subeundum sit, cum sæpenumero in easdẽ orationes incidamus: nullusq́, versus conuitijs, imposturis, atque calumnijs vacet: his etenim, quod prudenter vir quidam doctissimus animaduertit, omnes suos libros, velut allijs, infarciunt. ab his incipiunt: per hæc contendunt: in hæc desinunt. quanquàm sine Pontificis, aut Legatorum facultate, quod dixi superius, nemini integrum est, huiusmodi pestilẽtes libros euoluere, aut attingere quoquo modo.

Scripta hæreticorum qualia sint.

Obiectio.

Olim, inquiunt, omnia publicè agebantur, proponebantur, disputabantur, definiebantur: nũc publicè nihil agitur, sed in angulis, omnia.

Soluitur.

Errant omnino hæretici dum ita putant. nusquam etenim, vt docui superius, magis publicè omnia in Concilio acta sunt, quàm Tridenti hoc tempore. nam disputationes, definitionesq́, omniũ negotiorum & causarum, spectantibus omnibus fiunt. & quoniam hæc sententia hæreticorum, publica voce omnium redarguitur, non est, cur illam argumentis confutemus. mirari tamen satis non possum, vnde tanta impudentia, perfricatio frontis, aut potius mentis emotio orta sit, vt etiam in rebus, meridiana ipsa luce, clarioribus tenebras velint offundere. stipites,

&

& truncos omnes putant, dum mendacia vſque-adeò plana, pro veris & certis haberi poſſe, ſibi perſuadent.

Olim, aiunt, actores, & rei ſuas cauſas egerunt, & defenderunt ſententias arbitrio ſuo, nunc pro libidine Legatorum Papæ deliguntur perſonati Hiſtriones qui perſonam Lutheranorum, vt iſti exiſtimant, ſubſtineant. **Obiectio.**

Si vobis ita videtur ò aduerſarij, non adamuſſim, & ſecundum normam veritatis, ſed leuiter potius & perſunctoriè, cauſam veſtram à Catholicis hominibus tractari, & agi, cur non deſcenditis in Synodum? cur rem veſtram non procuratis? præſertim admoniti, rogati, atque etiam ſolicitati firmiſſima publica fide. priſcis temporibus hæretici, cum cauſa ſuæ aliquo modo fiderent, in certamina publica deſcendere, & media ſe in agmina Catholicorum dare, minimè verebantur: vos verò cum nihil præſtare ſimile velitis, haud dubiè factis teſtamini iniquam eſſe admodum cauſam veſtram: & quam tueri nulla ratione valeatis. ſatis benè vobiſcũ, & cum veſtra cauſa actum putare debetis, ſi æqui rerum exiſtimatores eſſe vultis, quòd vobis ſacra Synodus patronos defenſoresq́; decreuerit, viros doctos, atque pios. ij ſi vobis parum probantur, deſcendite in certamen. **Soluitur.**

Illud verò non poſſum patienter tolerare: non

nos

vos pudet in Martini Lutheri dogmata iurare, profiteri, & protestari, nusquam ab eius doctrina esse discessuros, & vt in summa dicam, Lutheranos esse, quod initio huius protestationis asseruistis, & ægre fertis, Lutheranos vocari? aut igitur instituta Lutheri deserite, aut substinete appellationem hanc, quam depellere aliter nusquam possitis.

Congregatio. *Iam ad nomina transferunt orationem, cum rebus ipsis parum se iuuari intelligant: atque aiunt, olim solemnes congressus in Synodo, actiones appellabantur, nunc vocantur Sessiones. sed ignorant etiam vocem: nam ab antiquis Synodis, illi congressus, actiones vocabantur, in quibus disputationes haberi solitæ sunt: quæ nũc vulgò congregationes nominantur: quod ipsi etiam aduersarij nobis, paulò inferius largiũtur,* Sessio. *dum actiones, et disputationes confundunt. Sessiones autem vocamus conuentus illos, cum patres vltimò dicunt sententias suas, cum decernuntur iudicia, & decreta conduntur. nam cum eò ventum est, omnia discussa iam sunt, & solum verbum placet, aut non placet, exigitur. nullus etenim hic locus est amplius disputationibus, aut longis rationibus. & quoniam ille Consessus, audiendo maximè occupatur, meritò eum, & maximè accommodatè Sessionem appellauerunt.*

Obiectio. *Postremò, inquiunt, olim etiam in primitiua*

ua Ecclesia: ita Synodi publicæ erant, vt ipsæ quoque actiones, ac disputationes, & singulorum Episcoporum sententiæ darentur in lucem: nunc verò solum Canones inuulgantur.

Sed perperam inquiunt aduersarij in primitiua Ecclesia, eam quoque fuisse consuetudinem, Soluitur.
nam definitiones Apostolorum legimus, in eadem Synodo factas, cuius fit mentio Act. 15. cap. disputationes verò non legimus. neque possint aduersarij quempiam ex antiquis, fide dignum scriptorem monstrare, qui ita ferat. simpliciter enim sic habetur, visum est Spirituisancto, & nobis, vt abstineatis à sanguine, etc. alterius etiam Concilij Apostolorum, plurimos Canones nouimus, actiones autem, seu disputationes, nusquam nouimus. idem quoque de plerisque alijs amplissimis Synodis existimare licet. 1
2 *deinde, tametsi id in omnibus Concilijs obseruatum cerneremus, nulla sanè lex, aut ratio est, quæ nos id facere hoc tempore Tridenti compellat: imo verò, dum hoc exigimus, Concilij auctoritatem eleuare quodam modo videmur: iam enim firmitas illa, & decretorum certitudo, quæ Spirituisancto Synodorum moderatori iure tribuenda est, ad rationes & argumenta, transferri videtur, & non parum multis occasionem errandi præberemus, dum argumentorum momenta plus iusto curiosi exquirunt, excutiuntq́;.*

illud verò satis superq́, putare debemus, si Canoni, testimonium sacræ scripturæ, aut traditio, aut Ecclesiæ, patrum ue consensus, aut tandem firma ratio aliqua inseratur: quod hactenus semper præstitit sancta Synodus Tridentina. inique autem, meo iudicio, aduersarij facere videntur, cum ita existimant: & longè minorem decretis Synodi, cui Spiritussanctus præsidet, & quam moderatur proculdubio, quàm humanis legibus fidem habent, dum rationes efflagitant illas, quibus patres adducti sunt, vt Canones conderent, quas non requirunt ab his, aut poscunt vllo modo, qui leges ciuiles condiderunt.

Adde, quòd si sancta Synodus aliquo pacto necessarium, aut saltem rationi consentaneum putaret, vnà cum ipsis Canonibus actiones publicare, nullo id negotio facere posset. quoniam non modò singulorum dicta, & sententias scrupulosè notarius Synodi excipit, sed accipit etiam ab his, qui publicè dixerunt, sententias, manu scriptas: ita vt verè possit dicere, hæc est Andreæ Cuestæ Legionensis Episcopi sententia. illa, Martini Peresii Segobiensis. hæc etiam Gasparis Cardilli Villalpandei, Episcopi Abulensis, Vicarij, ac cæterorum similiter. quapropter de hac re, minimè oportet, quempiam esse solicitum: modo intelligamus ad inuestigandam, & constituendam veritatem, strenuam à patribus

tribus

tribus operam esse nauatam. quod, nisi qui communi sensu caret, aut in media luce caligat, inficiari nemo possit, cum ratione.

Ergo cum uetus ratio procedendi, quantum fieri potest, in hac sancta Synodo seruata sit, cum retenta optima forma inquirendæ ueritatis, cum in processu Synodi nihil, quod non magnopere deceat, prætermissum, proculdubio Tridentina Synodus, dici, atque haberi Christiana maximè debet, & qui contra existimant, grauissimè, optimo iure, tanquam capitales hostes Christi, reprehendendi, & castigandi sunt.

DISPVTATIO OCTAVA.

VTRVM POSSIT ALIQVO modo Synodus Tridentina experientia redargui.

NVLLVM *lapidem non mouent aduersarij, ut scorpium inueniant, qui Synodum Tridentinam mordere, atque inficere possit. cæteris igitur, quæ confutata sunt, frustra tentatis, eò tandem uires animi referunt, & consilia omnia sua*

ſua deſtinant, vt rerum experientia geſtarum, Concilij auctoritatem, dignitatemq́ labefactent. nos verò in refellendis, & profligandis argumentis, quibus hæretici hac parte agunt, non eſt cur multum temporis, aut operæ perdamus: nam præterquam quòd, more cæterorum, meræ, & puræ Sycophantiæ ſunt, aperta conuitia, abominabilesq́ calumniæ, & impoſturæ hominum mente perditorum, illa eadem ab hijs, centies alias in eadem proteſtatione, ſunt commemorata. ſed hæretici, vt noceant, omnia ſibi licere arbitrantur, & perſuaſum habent. percurram tamen & leuiter expendā rationes quibus vtuntur in hanc ſententiam, ne aliqua ex parte muneri meo defuiſſe uideri poſſim. ingrediuntur igitur cauſam aduerſarij noſtri in hunc modum.

Obiectio. 1 *Primum, inquiunt, illo argumento Synodus redarguitur, quòd non ſit obſeruatum decretum, in comitijs Germanicis æditum de Concilio intra Germaniam celebrando.*

Soluitur. *Sed nos abundè huic ueteri querellæ, aut potius fraudi, atque dolo, ſuperius ſatisfecimus, vt ſuperuacaneum ſit, vel verbum vnum de re eadem iterum dicere.*

Obiectio. 2 *Secundo, aiunt, cum primum eſt Concilium indictum, bellum atrox contra Lutheranos eſt excitatum, cum nullum de hæreſi iudicium anteceſſiſſet.*

Soluitur. *huic etiam obiectioni exactiſſimè reſponſum*

ſum eſſe arbitror . vt enim monſtraui, non eſt in hæreticos eo tempore à Carolo V. Imperatore Chriſtianiſſimo bellum ſumptum, quòd hæretici eſſent, quãquam hoc etiam nomine, ſuo iure, id potuit facere: ſed potius quòd rebelles eſſent Imperij, quòd datam Imperatori fidem fregiſſent, quòd curſum Concilij, quod uidebantur magna contentione petere, vbi illud oblatum eſt, impedire ſunt conati, denique quòd eodem tempore infames libellos ſparſiſſent, aduerſus Pontificem, Epiſcopos, Concilium, atque Reges.

Tertio obijciunt, quo tempore propter tumultus bellicos, & arma diſcurrentia huc, atque illuc, non erat integrum Epiſcopis ad Concilium accedere, decreta quadã in Synodo facta fuiſſe. 3 Obiectio.

Sed nos id minimè negamus: neque propterea minoris eas leges pretij eſſe putamus, ſi quæ conditæ, lataq́; ſunt, quàm ſi uniuerſus orbis Chriſtianus, illas tuliſſet. quoniam Concilium œcumenicum, non tàm Epiſcoporum numerus facit, quàm alia pleraq; quæ oſtendimus ineſſe in hac ſacro ſancta Synodo Tridentina. et qui impediti armis, aut morbo, aut quauis alia legitima cauſa ad Concilium non accedunt, iure optimo excuſantur. Vrgent, 4. non fuiſſe liberam uſquam Synodum Tridentinam, exemplo, cuiuſdam Epiſcopi, quem illi nominant, qui, propter vnam, vt inquiunt, vocem, prolatam paulò liberius, Soluitur. 4 Obiectio.

berius, Romam adire iussus est, vt apud Vicarium Christi culpam deprecaretur.

Soluitur. *Est sanè quàm verissimum, hunc, quem nobis significant hæretici Episcopum, increpatum à patribus fuisse: & admissum crimen coram Pontifice depulisse: sed quantum ego a viris bonis, qui ea tempestate Tridenti aderant, accepi, non fuit in eo Episcopo tàm leuis culpa, vt purgatione non indigeret. ignorantia enim ductus, malitiosè etenim dicere non possum, cum iubear in meliorem partem interpretari dubiè facta, aut dicta proximi, traditionibus auctoritatem detrahebat, & de impij iustificatione, non satis sentiebat piè. ille verò cum accusatus causam ageret suam, resipuit facile, ac se opinione, atque sententia deceptum esse, ingenuè confessus est: ne vos quempiam existimetis, male in Concilio tractatum, quòd paulo fuisset liberius loquutus.*

Episcopus quidã qua causa sit reprehensus.

Vidi ego non parum multos, qui non modo in priuatis sermonibus, sed etiam in publico patrum consessu & pro suo gesto, pro sui animi libidine, in Pontificem & Romanam curiam, sunt debacchati: cæterum cum a fidei dogmatibus non discessissent, eorum Zelum, quo comedi se sirebant, Legati Pontificij, sanctaq; Synodus non iniquo animo tulerunt.

Instant adhuc, Synodum Tridentinam in

duas

duas olim partes, discissam esse, atque alteram, Bononiam translatam, repugnante, & contradicente altera.

Verum id est: sed iustis de causis translatam esse ostendi superius: & necessarium fuit, vt Episcopi, Maximo Pontifici Pastori suo, obsequerentur. & potuit illa pars quæ Bononiam contendit, iussu Pontificis leges ferre, si quas de exortis controuersiis, necessarias existimaret: tametsi nullas tulit.

Perseuerant adhuc in eadem sententia aduersarij, atq; vt deprimāt auctoritatem Synodi, si possint, illud argumentum plurimum vrgent, quòd patres Tridentini, nefaria flagitia, & impura facinora perpetrarint: atque vt rem exaggerent amplius, duas apertissimas, et maximas calumnias nobis obtrudunt: acerbumq́; interitum narrant duorum Episcoporum. 6 Obiectio.

Ego verò Deum testor, Opt. Max. in cuius conspectu sto, & cui sum exactissimam vitæ rationem redditurus, omni studio, & diligentia peruestigasse, verum ne an falsum sit, quod de obitu Episcoporum hæretici narrant, neq; potuisse quidpiam uel leuissima assequi cōiectura. cum autem, quod de illis supplicium sumptum esse ferunt, insolitum atque publicum fuisse dicant, non potuit, me, eius rumor, etiam si surdus essem, latere: qui ferè cum primum Synodus teneri cœpit, Soluitur. Apertissimum hæreticorū mendacium.

pit, Tridentum veni, neq; hinc vspiam toto hoc tempore, integrum absui, diem. quem enim latere potuisset, si id vsquam accidit, transfixum venabulo alterum fuisse Episcopum, alterum verò instructo laqueo ad fenestrā, feræ instar, captum, atque suspensum, si manè eum de fenestra dependentem, omnis populus inspexit? sic. n. rem factam narrant aduersarij. quis angulus, etiam remotissimus reperiretur, qui isto rumore plenus non esset? aut quod theatrum, in quo non hæc lugubris Tragœdia personaret? sed hæretici homines, omnium, quos terra substinet nequissimi, quas non fabulas confingent, & memorabunt, vt nos traducant?

Frustrà verò quæruntur aduersarij, non potuisse se à patribus obtinere vsquam, ullum tolerabilem saluum conductum. res etenim ipsa, si homines tacerent, loqueretur, & clamaret. firmissima enim publica fide hæreticis cautum est, quæ excussa publicè circumfertur: de qua ego disseruì longius, tum in Apologia contra Montanum, tum etiam paulò superius, aduersus hanc eandem protestationem.

De Sleydano sentētia

Citant in suam sententiam Sleydani historiam, et testem eum omnium suorum mendaciorum faciunt. neque vident, iurati hostis, & sexquihæretici spurcissimi, qualis Sleydanus est testimonio, neminem virum bonum, aut opprimi, aut

aut grauari posse: cuius historiæ quanta fides habenda sit, qui nosse velit, historiam euoluat de rebus Ecclesiæ quam proximis his annis inuulgauit Robertus Pontanus, non tam eloquentiæ flosculis quam veritate conspicuam: facilè nouerit: quo Sleydanus loco, haberi iure debeat: quem tantopere nobis hæretici obyciunt; cum nihil aliud scribendo præstiterit, quàm quòd hæreticus, hæretici Dorpij, Germanicam historiam latinitate donarit, & comprobarit nugas. hic est enim ille, cuius ex Rusò superius mentionem fecimus, qui aiebat, omni arte, nobiscum esse agendum, cum accusaretur, quòd nugas plurimas historiæ inseruisset. de huius nugis, et apertis calumnijs à Latomo historia conscripta est, cuius est titulus de vndecim millibus mendaciorum Sleydani. huius præterea historiam, huiusq; mores, in historia Ecclesiastica Fontanus Gallus Gallicè suis coloribus adamussim depinxit: quæ nuper Italico sermone donata est.

Perstant, et obijciunt nobis, Germanos Theologos, non solum non fuisse permissos in Concilio dicere, sed explosos potius cum dedecore, maleq; tractatos: atq; vt fidem faciant, Vergerium testem producunt.

Sed nos hoc crimen superius diluimus: Vergerio autem Hippolytum oppono, virum bonum atque doctum: qui hanc, quæ nobis inuritur ma-

culam, exactissimè abstersit. oppono sanctissimos multos patres, qui eo tempore aderant Tridenti: ij siquidem omnes nihil simile euenisse narrant.

Postremò obijciunt, cum dogmata fidei à Theologis discutiuntur, eos in varias sententias abire.

Accidit hoc aliquando, propter rei difficultatem, de qua agitur. pro ingenio hominum, atq; naturà: maximè, cum de certitudine gratiæ disputaretur: de qua re, inter duos illos Theologos, quos memoratis, grauis contentio incidit. quam illi fortasse, non tam longè promouissent, nisi spiritu ambitionis, & contentionis agitarentur: atque vterque alterum superandi libidine esset concitatus. interim tamen, vt est in prouerbio, quod reges delirant, plectuntur Achiui. & priuati culpa in Synodum reijcitur.

DISPVTATIO NONA.

VTRVM SPIRITVS SANCTVS Concilijs præsideat congregatis legitimè.

TANDEM *nobis peruentum est ad extremum fabulæ actũ, hoc est, postremam partem protestationis, in qua nõ minus, quàm in reliquis omnibus sibi similes sunt hæretici: qui, cum patrem, ac filium, diuinas duas in Trinitate personas hactenus irriserint, temperare sibi nõ possunt, quin etiam Spirituisancto, eiusdem cum patre atque filio substantiæ, sint iniurij, atque eidem insolenter cõuicientur. aiunt itaq; œcumenicis Concilijs legitimè coactis, quale Tridentinum est, Spiritũ sanctum, non interesse omnino. ad eã uerò sententiam conuincendam, nullis prorsus argumentis utuntur, quæ uel speciem aliquam ueritatis præseferant. quinimo, cum rationibus destituantur, ad sua arma, idest conuitia, contumelias, & maledicta confugiunt: quorum sunt admodum locupletes. duntaxat obscenam quandam, et tur*

pem fabulam narrant, quam ego neque leuiter attingam, ne dum confutare ſtudeo, aliquo eam pretio habere videar. docebo autem auditores, citatis teſtibus, & in theatrum orbis terrarum productis, Concilijs œcumenicis, iure coactis, quale proculdubio Tridentinum eſt, Dei Spiritum intereſſe, moderantem cogitationes patrum. qui neque errare, neque decipi queat: & quem ſi ſequamur, minimè vſquam labi poſſimus. quam rem eò compẽdioſius præſtare debeo, quòd de eadem plura dixerim, cum aduerſus Montanum diſputarem.

Spiritus ſanctus præſidet œcumenicis Conc. legitime coactis.

Hoc primum omnium perſuadet locus ille Matth. 18. ſi duo ex uobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcunq; petierint, fiet eis, à patre meo, qui in cœlis eſt: vbicunq; enim duo, vel tres cõgregati fuerint in nomine meo, ibi ſum
1 *in medio eorum. id ſi promiſſum eſt duobus, aut tribus congregatis in nomine Chriſti, quid futurum ſperamus, cum vniuerſa Eccleſia, legitimè, quod eſt, in eius nomine, fuerit congregata? hu-*
2 *ius ſententiæ praxis in Concilio Apoſtolorum expreſſa eſt, quod eſt Hieroſolymis celebratum: ubi, in hunc modum ſancta illa Synodus ſententiam protulit.*

Viſum eſt Spirituiſancto, & nobis.

3 *Ad teſtimonium ſcripturæ, atq; exemplum, accedit ratio: quæ hoc modo concluditur, Pontifex*

tifex Maximus, cum fidei dogmata explicat, errare non poteſt, iuxta illum Chriſti ſermonem ad Petrum, & ſucceſſores eius, oraui pro te, ne deficiat fides tua. tu confirma fratres tuos. quia illi aſſiſtit Spiritusſanctus: ergo etiam Cõcilio, quod repræſentat vniuerſalem Eccleſiam.

Deinde, Eccleſia habet Spiritumſanctum gubernantem, quem ei promiſit Chriſtus verbis illis, Paracletus autem Spiritusſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. non enim hæc uerba ad Apoſtolos tantum dicta ſunt: neq; Spiritusſancti miſſio (quod beatus Bernardus ait) propter ſolos Apoſtolos facta eſt: alioqui non dixiſſet ipſa veritas, ego vobiſcum ſum, vſque ad ſæculi conſũmationem. neq; enim Apoſtoli perpetuò manſuri erant. quare ad Eccleſiam verba pertinent, à qua Chriſtus, eius ſponſus, nuſquam diſcedet: at Concilium, vniuerſalem Eccleſiam repræſentat, vt conſtat, ergo generali Concilio, cõgregato legitimè, haud dubiè aſſiſtit Deus, de omnibus inſtruens, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria. 4

Audite quid de hac re ſentiat, atque ſcribat, Damaſius Papa doctiſſimus atque ſanctiſſimus vir ad Aurelium Auguſt. 5

Violatores Canonum voluntarij grauiter à ſanctis patribus iudicantur: & ab Spirituſancto cuius inſtinctu, ac dono dictati ſunt, da-

minantur. & paulo inferius,

Blasphemare in Spiritumsanctum non incongruè videntur, qui contra eius sacros Canones aliquid proteruè agunt.

Ac nisi Spiritussanctus sacrosanctis Synodis intersit, quo nam, quæso, pacto verum erit, quod omnium consensu receptum est, dictum à Gregorio Magno, & habetur in decretis dist. 15. cap. sicut sancti Euangelij. quattuor Ecclesiæ generalia Concilia, quæ eo tempore tantum celebrata erant, instar esse quattuor Euangeliorum.

Concilium Chalced. vnum ex his quattuor sic habet.

Non dubium, Spiritumsanctum patribus in Nicea congregatis præsedisse: sicut manifestè præsedit.

Imo verò si aduersarij se ipsos audire velint, facile hoc nobis dabunt. nam cum sententiam Cusani de præsidente Concilij vehementer probent, & Cusanus, vt aduersarij citant, eo loco Concilij præsidentem faciat Spiritumsanctum, sine nota leuitatis negare non possunt, cœlestem Spiritum id genus Concilijs interesse.

Huc spectans magnus ille Constantinus Imperator, absoluta Nicena Synodo, leges in ea latas, perinde se, inquit, suscipere; venerariq; ac si diuino fuissent ore editæ, ac promulgata.

Cap.

Cap. 15. Conc. Matisconensis 2. Synodorum decreta, facta esse dicuntur Spiritusancto dictante; his verbis,

Qui verò horum, quæ Spiritusancto dictante sancita sunt, transgressor fuerit, ab Ecclesia, quandiu Episcopus illius voluerit, suspendatur.

Plura in hanc sententiam dicere animus non est, ne lectori fastidio sim: pauca hæc satis esse possunt, pertinaci animo non contendenti. Veritati asserendæ in lucem operam in his disputationibus dedimus, & sanè si, quæ hactenus commemorata sunt, probè nouerimus, haud dubiè comperiemus, nullam omnino rationem fingi posse, cur Synodus Tridentina sacrosancta non sit. est enim à Pio IIII. Pontifice Maximo indicta: cui, à Deo Opt. Max. cogendi & celebrandi Synodum facultas suppetit, de consensu Ferdinandi Imperatoris religiosissimi, optimiq́, atque etiam Regum, & Principum cæterorum, Pontifex per Legatos suos Concilio præest, in loco admodum conuenienti tenetur, in quo, quisque liberrimè sententiam profert, & forma antiquis Synodis familiaris, ac necessaria seruata est, tum quod ad rationes attinet, quibus inquirenda, & proferenda in lucem veritas est, tum etiam quod attinet ad normam procedendi.

Restat vt vos, ò Germani, qui huius protestationis estis auctores, errorem vestrum agnoscatis,

tis,

tis, & cognito errore resipiscatis iam tandem, atque hæresi procul abiecta, ad Romanam Ecclesiam, charissimam Christianorum matrē, reuertamini: quæ vos apertis brachijs expectat, vt venientes excipiat, amplectatur, oscula figat, vitulum saginatum occidat, choreas ducat, festumq́; diem tripudijs celebret, quondam à vobis admissi sceleris oblita. ne, pluris, obsecro vos, per immortalem Deum, qui vos sua morte in vitam asseruit, facere velitis, dissipatis bonis paternis, & vniuersa re familiari dilapidata, extra paternam domum, procul à conspectu fratrum, porcos pascere, siliquis vesci, aut potius perpetua inedia cœlestis doctrinæ vexari, premi quàm domi vestræ, simul cum dulcissimis parentibus, charisq́; propinquis, bonorum omni genere affluere. agnoscite vnde excideritis: quem doctrinæ vestræ auctorem habueritis: hominem, vt cætera taceam, qui Diabolo magistro, vsum se, dicere non erubescit, sed magnopere potius gloriatur. qui, vt corpori seruiret, & carnis oblectamenta persequeretur, omnes, Ecclesiasticæ disciplinæ & fidei Catholicæ neruos, doctrina atque exemplo suo, pro virili portione infrexit. euoluite, quæso vos, ab his initijs, quonam pacto vestra doctrina progressa sit, quibus tumultibus creuerit, quibus adoleuerit flagitijs. neque enim fœlicem vllo modo exitum habere possunt, quæ

quæ ex malis principijs orta sunt. Cōtemplamini veteres hæreticos, quorum vestigijs plurimum nitimini, uix eorum vel tenuè aliquod indicium superfuisse intelligetis. improbi gloria, velut fœnum quod hodie floret, et cras in Clibanum mittitur. ultor iniuriæ, illatæ fidei, Deus est, in cuius molares incidere, horrendum est: qui tametsi differre vindictam videatur, non tardat, & si tardet aliqua ratione, ipsam tarditatem supplicij grauitate compensat. ne vos, aut inanis gloriæ, aut ambitionis vento abripi sinatis, quæ firma diu cōsistere nequit: sed fugit velut umbra. neque aliorum scelerata vita, tantum ualeat apud uos, vt eius indignatione, summo uestro malo, Christi & eius Ecclesiæ, effici hostes velitis. charitas clamat, cuius uos temerè uiolatores existitis. ne, dum scoparum officio defungimini, quibus, sordida loca expurgari solent, in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, atq; angelis eius, quales uos estis, pœnas luituri, detrudamini. Christus seruator hominum. eam uobis mentem inspiret, quam nos, quod Christianos, & bonos uiros decet, uobis optamus.

DE ECCLESIAE TRADITIONIBVS LIBELLVS.

EODEM AVCTORE, aduersus eosdem Protestantes.

Præfatio.

ADVERSARII *nostri, hæretici, non his temporibus modo, sed etiam antiquis, quod Arrianorum exemplo manifestum est, quò commodius suis erroribus, atque impijs dogmatibus patrocinarentur, neque facile à Catholicis refelli possent, solis sacris literis, auctoritatem in causa fidei, tribuendam esse: consuerunt Apostolicis traditionibus explosis, contemptis sacrosanctis Synodorum decretis, Pontificum legibus, atque institutis, pro nihilo habitis, patrum sententijs sanctorum procul reiectis.*

Cur traditiones reijciant hæretici.

quod, hoc potissimum consilio, ab his hominibus est factum, cum enim sacra scriptura difficilis, obscura, atque impedita sit maximè, unde fit, vt, eà æquè Catholici, atque hæretici vtantur, nisi nobis

bis ea, quæ memoraui, præsidia suppetant, haud facilè, vt putant, refelli poterunt. his etenim sanctarum litterarum interpretatio plurimum cōstat. hinc effectum est etiam, vt nihil tàm mordicus teneãt aduersarij, nihil tàm accuratè tueantur, nihil denique tàm inculcent hominibus frequenter, quàm scripturam sacram dilucidam & apertam esse: eàdemq́; non in genere solum atque uniuersè, sed in specie ac per partes, sigillatim, minutatimq́; omnes nostræ salutis rationes, atque humanæ uitæ momenta expressa contineri. vt iam superuacaneum sit aliunde præsidium quærere ad eas controuersias dirimendas, quæ uel de fide exoriri, uel de moribus suscipi solent. quamobrem nullus hoc tempore hæreticorum reperitur, tam nullius litteraturæ, tàm rudis atque ignarus ueri, tàm denique triobolaris, & plumbeus, qui non oportunè, atque importunè, sacras litteras iactet, sine externis adiumentis ad Christianè uiuendum esse satis. traditiones ergo Apostolorum, & disciplinam Ecclesiæ, homines irreligiosi, atquè impuri, naso, quod dicitur, suspendunt adunco: quod uel ipsa protestatione docemur, cuius bona pars in huiusmodi traditionibus reijciendis, insumitur. quemadmodum igitur aduersarij, ex re sua facere uidentur, dum aduersus traditiones Ecclesiæ mendacia accumulant, atque illis quo iure detrahat

trahat quaque iniuria, ita quoque nos faciemus, ut opinor, rectè, si traditiones id genus asseramus, & ab iniuria hæreticorum, pro uirili nostra portione uindicemus. hoc commodè, iudicio meo, præstare possimus, si ex multis, paucos aliquot testes in medium produxerimus, qui traditiones istas, maximi faciendas esse, arbitrantur. ea enim ratione utilitati multorum consulemus, dum uiros bonos, & doctos, ac iudicio antiquitatis probatos, capite censibus hominibus, improbis et flagitiosis, sanctarum scripturarum prorsus ignaris, ad quas, cæterarum artium ac disciplinarum principijs accedunt destituti, denique qui heri aut nudius tertius orti sunt, opponamus, & lectorem fastidio euoluendi de hac re aliorum scripta, leuabimus, qui licet multa & doctissima omnia nobis tradiderunt, non congesserunt ea in unum locum, sed sparsa potius reliquerunt: exordiemur vero ab ipsa scriptura sacra.

CONVINCVNTVR TRADITIONES testimonio sanctarum scripturarum. Cap. I.

CVM multis ex locis argumenta depromere possimus, quibus traditionum Ecclesiasticarum fidem faciamus, rationi consentaneum

taneum ducimus, earum vsum in Republica Christiana necessarium esse, primum omnium ex sacris litteris mōstrare. prius tamen, quàm hanc rem ingredior, nonnulla mihi sumenda sunt. unum est quid traditionum nomine significemus, alterum, quot genera earum sint, & de quo nobis sermo fiat.

Nomine igitur traditionum ea præcepta compræhenduntur, quæ non scripto, sed viua voce tradita, et veluti per manus a maioribus ad nos transmissa, atque Ecclesiæ cōmendata, retinētur.

Traditionum Ecclesiasticarum tria genera tradit August. inuenitur alicubi, inquit, consuetudo, quæ sacræ scripturæ contraria est. quod vbi accidit, planè constat, non isto more viuendum esse, sed scripturæ obtemperandum. dominus enim, non inquit, ego sum consuetudo, sed ego sum veritas. sunt & aliæ, inquit, traditiones, scripturis, & Catholicæ fidei minimè contrariæ. hæ, triplici genere continentur: quasdam, tota per orbem frequentat Ecclesia. atque hæc, inquit, similiter vt illa, quæ sacræ scripturæ perscribit auctoritas, obseruanda sunt. nam quod est eiusmodi, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est. exemplum adhibet, dicens, sicuti quòd domini passio, & resurrectio, & ascensio in cælum, & aduentus Spiritus sancti de cælo, anniuersaria solemnitate celebren-

Lib. 3. de baptismo contra Donatistas.

Cap. 1. & 5. epist. 118. ad Ianuarium.

lebrentur, & si quid tale occurrerit: quod obseruatur ab vniuersa, quocunque se diffundit Ecclesia. huiusmodi etiam sunt, vt idem alio loco testatur, obsecrationum sacerdotalium sacramenta, quæ ab Apostolis tradita in toto mundo, atque in omni Catholica Ecclesia vniformiter celebrantur. vt legem credendi, lex statuat supplicandi.

Aliæ sunt, quas non tota seruat Ecclesia, sed per loca terrarum, regionumq́; ad ædificationem fidei, & morum, secundum singularum Ecclesiarum speciales conditiones introducta, atque receptæ variantur: totum hoc genus rerum, inquit Aug. liberas habet obseruationes: neque disciplina vlla est opus, graui, prudentiq́; Christiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcunque fortè deuenerit. hanc doctrinam dicit se à beato Ambrosio accepisse: & de ea sententia etiam atque etiam eo quantum ita secum affectum semper fuisse, tanquam eam cœlesti oraculo acceperit.

Cap. 2. eiusdem epist.

Præter hæc, ait, reperiuntur in Ecclesia etiã alia, quæ, neque sanctarum scripturarum auctoritatibus continentur, neque in Concilijs Episcoporum statuta inueniuntur, neque consuetudine vniuersæ Ecclesiæ roborata sunt, neque item notis, & rationabilibus causis exigentibus ita sunt instituta, sed diuersorum locorum, diuersis

moribus

moribus variantur, & sine fructu sunt: neque aliò, quàm vt grauent populum videntur pertinere: de quibus solis dicit Christus, in vanum me colunt docentes mandata & traditiones hominum. hæc resecanda esse censet: prudenter tamen, nam ipsa mutatio consuetudinis, licet adiuuet vtilitate, nouitate perturbat.

Mutationis quanta sit uis.

Hinc possit aduersarius agnoscere, de quo genere traditionum disseramus, cum eas dicimus necessariò seruandas esse, & præterea quo loco cæteræ habendæ sint. exordiamur ergo ab scriptura.

Omnia quæcunque dixerint vobis (præpositi inquàm) seruate, & facite, secundum autem opera eorum, nolite facere. Matth.23. cap.

Non te prætereat narratio seniorũ, ipsi enim didicerunt à patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum. Prou 22.ca.

Conserua fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. legem matris traditiones atque Ecclesiæ legẽ appellat scriptura. addit, Prou.cap.6

Liga eam in corde tuo iugiter, & circunda gutturi tuo, cum ambulaueris, gradiantur tecum, cum dormieris, custodiant te, & euigilans loquere cum eis, quia mandatũ, patris, inquam, lucerna est: et lex, matris videlicet, lux, et via vitæ increpatio disciplinæ.

Quemadmodũ verò nihil prodest lucernam

habere, si non luceat, ita quoque non prodest habere præcepta Dei, hoc est diuinam scripturam, si non accedat à lege matris Ecclesiæ, lux, ueri intellectus scripturarum.

Ca.11.prioris epist. *Beatus Paulus Corinthijs scribens, cætera, inquit, cum venero disponam. disseruerat de ratione sumendi Eucharistiam, de qua re nonnulla dederat præcepta, & concludit verbis citatis orationem. hic ego rogo hostes traditionum & Ecclesiasticæ disciplinæ, quà nam parte epistolarum Pauli ea contineantur, quæ dicit, se dispositurum cum venerit? nemo autem possit Paulum Apostolum mendacij arguere. quare sermone ac viua voce ea disposuit. hæc, cum ab illo tradita sint, vt obseruentur, magna profectò vis traditionum est, vel Paulo iudice, hoc loco. & iterum in eodem cap. laudo uos fratres, quòd per omnia mei memores estis, & sicut tradidi uobis, præcepta mea tenetis: atqui non tradidit Paulus Corinthijs, vt constat, omnia scripta, quæ seruare illi debuerunt.*

2. Cap.2. *Apertius confirmat hanc sententiam ad Thessalonicenses scribens, his verbis, itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. sunt igitur aliqua in Ecclesia præcepta, quæ non scripto, sed traditione tantum consistent, & quæ necessario obseruare debeamus, dicente Paulo, tenete*

nete traditiones: hoc est instituta vita, quæ tradita vobis sunt à me viua voce, cum Euangelium prædicarem. credibile est enim multa Paulum Thessalonicensibus seruanda tradidisse, quæ in epistolas relata non sint.

Iterum in eadem epistola, denunciamus, inquit, vobis fratres in nomine domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis. Cap.3.

Ad Timotheum scribens, sic ait, tu verò permane in his quæ didicisti, & credita sunt tibi. illa enim ex vi verbi ipsius, credita nobis dicuntur, quæ viua uoce sunt tradita. nam quæ scribuntur, non nobis, sed chartæ potius commendantur. Ca.3. ep.2.

Rursum ad eũdem: ò Timothee depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates. quod, id obsecro, depositum est, præter doctrinam eam, quam, cum adesset præsens, instillarat eius menti Paulus? Ca.6.1.epi.

Iterum agens cum Timotheo, tu uero, inquit, fili mi, quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus. quibus Pauli uerbis proculdubio docemur, qua ratione traditiones communicẽtur. Paulus etenim Timotheum docet: Timotheus autem alios homines fideles, vt ij deinde ea præcepta transfundant in posteros. Ca.2 epi.2.

hos si quidem fideles Paulus uocat.

Ad calcem 2. epist. *Beatus etiam Ioannes plura, inquit, habens uobis scribere (& agit proculdubio de his quæ, seruari oporteret) nolo per chartam & atramentum, spero enim me futurum apud uos, & os, ad os loqui. ubi nunc isti Ioannis sermones reperiuntur? nusquam sanè, quod sciam, nisi traditione contineantur.*

Cap. 16. *In actis quoque Apostolorum narrans Lucas Pauli prædicationem, inquit, cum pertransirent ciuitates tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, & senioribus, qui erant Hierosolymis.*

Beatus etiam Petrus cap. 3. epis. 3. uim harum traditionum tradit, cum hæreticos, earum contemptores his uerbis reprehendit, uenient in nouissimis temporibus in deceptione illusores, iuxta proprias conscientias ambulantes. quasi dicat, contemptores eorum quæ sunt tradita.

Ca. 1. epist. *Beatus etiam Iacobus harum traditionum mentionem facit, & ad earum obseruationem hortatur, dicens, suscipite insitum uerbum, cuius ea, inquit, uis est, ut possit saluare animas uestras.*

Cap. 15. *Iterum in Actis, perambulabat Paulus Syriam, & Ciliciam confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorũ, et seniorũ. hæc testimonia, cum sint in sacris literis expres-*

ſa, neceſſario aduerſarij fateri debent, traditionum magnam eſſe uim, aut ipſas ſacras litteras quibus continentur ſuperiores ſententiæ, obſcuras, atque impeditas eſſe magnopere. quod cum illi nulla iuſta ratione, & cauſa poſſint dicere, uidemus enim, hæc teſtimonia luce meridiana clariora, haud dubiè in alteram partem orationis illis eſt incidendum.

CONVINCVNTVR TRADITIONES rationibus ex ſacris libris deductis. Cap. II.

RATIONIBVS iam eandem rem tractemus oportet: quæ ſæpenumero pluris haberi, quàm teſtimonia ſolēt. hæc.n. improbi deprauāt in ſuam ipſorum perniciem. Chriſtus non reliquit nobis in ſacris litteris omnia, quæ neceſſario agere, atque ſeruare debemus, ergo præter ſacram ſcripturam, aliqua alia re nobis eſt opus: ergo eam etiam rem nobis reliquit Chriſtus. hoc argumentum duplici, ut conſtat, ſyllogiſmo explicatur. unus eſt, in ſacris libris non reliquit nobis Chriſtus omnia quæ neceſſario ſeruāda ſunt, ergo aliquo alio eſt opus. nota eſt conſequentia, antecedens probant illa uerba Ioan. cum venerit ſpiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem, non omnem quidem ueritatem ſimpliciter,

1. Ratio.

Cap. 16.

& quæ sciri posset. nam non omne quod sciri poterat, docuit suos: neque id facere expediebat: sed omnem ueritatem scitu necessariam ad salutem, quæ sacris libris non contineretur. quæ enim in illis erat, docuerat iam Christus discipulos suos, cum simul uersarentur: et cum illis aperuit sensum scripturarum, quod narrat Matthæus.

In sacris litteris fons nostræ salutis.

Est illud sanè uerum, in Canonicis libris fontem existere, & fundamētum omniū eorum quæ sunt homini ad salutem necessaria, atque in eis, in genere omnia uitæ nostræ momenta contineri: quod alibi explicatius dixi. inde etenim omnia deduci possunt, præsidio aliquo externo. ergo hoc nobis etiam Christus simul cum sacris libris reliquit. alioqui, neque rectè, neque omnino Ecclesiæ suæ prouidisset, consuluissetq́;. insuper sine culpa sua interdum homines damnarētur, atque æternis supplicijs addicerentur. tunc maximè, cum non seruarent, aut fugerent, quæ necessaria ad salutem sunt, & sacris non sunt litteris compræhensa. id uerò quod præter sacras litteras necessarium est, ego non uideo, quid aliud sit, præter traditiones, quare eas uoluit Christus adesse in Ecclesia. imo uerò reliquit, ac firmauit auctoritate diuina.

2. Ratio.

Negari non potest, quin difficilis & obscura sit scriptura sacra, quod de Pauli epistolis beatus

tus Petrus testatur, cum ait, in quibus sunt quædam difficilia intellectu. subiungit, quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut cæteras disciplinas, ad suam ipsorum perditionem. testantur Catholici interpretes scripturarum, qui non rarò quidem inter se, de sensu loci cuiuspiam discrepant: & diuersam habent sententiam. testantur quoq; hæretici, qui de præcipuis etiam salutis nostræ capitibus, non diuersas modò, sed disparatas, atque pugnantes omnino tot numerant opiniones, quot sunt, qui de ea re auctores scripserunt. ut de iustificatione impij, & eucharistia. quãobrem interprete opus est aliquo, alioqui perpetuò in tenebris, cũ difficultate luctãtes, uersaremur. non potest autem quiuis interpretis munere desungi, neque unus aliquis priuatus homo: nam cum is, quicunque sit, facilè decipi possit, facilè etiam cæteros deciperet: neque firmum aliquid aut stabilè haberemus. publico igitur interprete opus est: cui omnes habeant fidem. & qui dum id præstat, errare non possit. atqui id genus nihil est aliud præter traditiones Apostolicas, Concilia œcumenica legitimè coacta, Pontificum decreta, & consensus Ecclesiæ, qui in scriptis sanctorum patrum reperitur: ergo his omnibus firmam præstare fidem oportet, si uolumus germanam intelligentiam assequi sanctarum scripturarum. Cap. 3.

Non discrepant ab hac opinione, hæreticorum
Ca. 5. lib. 1. *nonnulli: nam Bullingerus de Concilijs differens, Christianam, inquit, institutionem nos habere à sacris scripturis: interpretationem verò à patribus, atq; doctoribus. idem scribit Martinus Lu*
3. Ratio. *therus, quod alibi ostendimus. In gubernatione ciuili consuetudo habet vim legis, nemo negat, & habetur. ff. de leg. 1. diurna: & l. imo. cur igitur non habebit uim eandem in Ecclesia?*
1. Cor. 11. *præsertim cũ consuetudine vtatur Apost. aduersus contentiosos: siquis vult, ait, contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. quem locum exponens Hieron. sic inquit, Apostolus, cum præcepisset, mulierem orare velato capite, præuenit obiectionem, qua quispiam ei dixisset, vbi scriptum est hoc? per hoc*
4. Ratio. *quòd allegat consuetudinem. Christus non solũ dedit Apostolis, atque Episcopis, qui in eorum locum successerunt, potestatem plãtandi Ecclesiam per prædicationem, sed etiam regendi, at in hac facultate inest, leges facere, quibus commodè viuatur, iuxta illud Act. 10. attendite vobis et uniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritussanctus, regere Ecclesiam Dei, ergo leges Ecclesiæ & consuetudines vsu receptæ vim habent obligandi maximam.*

5. Ratio. *Omnia quæ sacris litteris continentur vera esse firmissimè credimus, hoc, neque hæretici inficiantur:*

ficiantur: atqui non aliunde habent, ut illis firmiter credamus, quàm ex traditione Ecclesiæ: summè igitur necessaria est Ecclesiæ traditio. ego cum Lutheranis, qui Ecclesiæ sanctionibus, atque statutis auctoritatem adimere conantur, in hunc modū contendo, & quæro in primis quibus de armis velint agere contra Ecclesiam, ut eius decreta subuertant? dicent sat scio, Canonicis scripturis: nam ad omnia, his hominibus scilicet, expressum Dei verbum facilè suppetit. tunc ego rogo, unde credant Euangelia, sacram, & Canonicam esse scripturam? non poterunt aliud dicere, quàm ex Ecclesiæ traditione, quòd inquàm ita sint ab Ecclesia edocti, atque instructi. Euangelio enim Marci, ver. g. credimus, quia diuina scriptura est, cui per se ipsam, summam fidem habere, necesse est. at scimus Euangelium Marci, sacram esse scripturam, non Bartholomæi, quoniam ipsa Ecclesia Marci nobis tradidit Euangelium, cætera reiecit. hoc est enim quod Augustinus scribit, Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ auctoritas compelleret. ergo traditionis Ecclesiasticæ, maxima auctoritas est, & maximus usus. in epist. fundamenti.

6. Ratio. *Euangelij summa est auctoritas: sed Ecclesiæ traditio ab ipsa sacra scriptura Euangelium vocatur, ergo traditionis maxima vis, atque auctoritas est. sumptionem probo. beatus Paulus*

ad

Ecclesiæ traditio, Euangeliũ uocatur. *ad Galatas scribens Petrum, inquit, non rectè ambulare ad veritatem Euangelij, quoniam cũ his qui erãt ex circumcisione volebat in cibis legalia seruare, quasi suo exemplo gentibus innueret, simul cum Euangelio, legalia seruanda*

Act.cap.15. *esse. nihil autem simile in Euangelio decretum reperitur: sed duntaxat sacrum Concilium, ipsa inquam Ecclesia desinierat, non obligari gentes ad legalium obseruationem. ipsa igitur Ecclesiæ determinatio, atque traditio Euangelium est, & firmam atque perpetuam habet auctoritatem, contra hæreticorum sententiam.*

7. Ratio. *Quæ habemus ab uniuersali Ecclesia tradita, habemus ab Spiritusancto, qui eam moderatur, atque gubernat: sed traditiones Apostolicas, decreta Conciliorum & Pontificum, consensum etiam patrum, ab uniuersali habemus Ecclesia, ergo ab Spiritusancto. summo igitur loco, hæc omnia oportet habeamus. rectè.n.aiebat*

15. dist. ca. sicut sancti Euangelii. *Gregorius Magnus, quemadmodum firmiter teneo, quattuor Euangelia, ita quoque firmiter recipio quattuor Concilia generalia: quæ ætate sua celebrata erant in Ecclesia. Hinc ad Conc.transeamus atque horum testimonio fidem quoque faciamus: quæ non potest quidem non admodum firma esse, maximiq; momenti.*

CONVINCVNTVR TRADITIONES testimonio sacrorum Conciliorum. Cap. III.

IN oratione Martiani Imperatoris sic legimus, vt sanctam Synodum ad antiquam perfectionem referre properemus, laborem vobis arbitrati sumus imponere, vt omni errore caliginis deterso, secundum quòd ipsa diuinitas hominibus se fieri manifestam voluit, vt patrum demonstrauit doctrina, sic fides nostra, quæ pura, & sancta consistit, in omnium ingrediens animas propriæ veritatis effulgeat luce. Initio Côci Chalced.

Iterum, veram fidem, Catholicamq́, exponere, secundum patrum doctrinam concordantibus animis vestris, vestra properet reuerentia. Eodem loco ad Synodum.

In Septima Synodo generali sic patres loquuntur, fatemur vnanimiter nos, Ecclesiasticas constitutiones, siue scripto, siue consuetudine valentes, & decretas, retinere velle. Actione 7.

In sexta Synodo generali, decretum initio est, vt ea teneretur fides, quæ per Apostolos, & sacra Concilia tradita est. Cap. I.

Constantinus Imperator quibus armis contra hæreticos in Concilio vtendum sit, docet his verbis: Euangelici sunt libri, & Apostolorum, antiquorumq́, sanctiones, qui nos erudiunt, quid de sacra lege sapiamus. In epist. ad Alexandrũ Episcopum Alexandrinum.

Pascha-

1. Act. *Paschasinus Vicarius Pontificis in Conc. Chalced. dixit, nos contra præcepta beatissimi, & Apostolici Papæ, gubernatoris sedis Apostolicæ venire non possumus, neque contra Ecclesiasticas regulas, vel patrum instituta.*

Iterum, si quis extra Ecclesiam priuatim populos congregans, contemnat Ecclesiasticas sanctiones, & aliter ea quæ sunt Ecclesiæ voluerit vsurpare, anathema sit.

Initio. *In Concilio Niceno sic legimus, decem & septem tunc fuisse dicuntur, quibus Arrij magis fides placeret, defertur ad Constantinum sacerdotum Concilij sentẽtia: ille, tanquam à Deo prolatam veneratur, cui si quis tentasset obniti, velut contra diuina statuta venientem, in exilium se protestatur acturum. Magnus igitur Imperator Ecclesiæ traditiones, diuina statuta vocat.*

Can. 1. & 25. q. 1. à sanctis patribus. *Iterum Concil. Chalced. à sanctis patribus, in vnaquaque Synodo, vsque nunc prolatas regulas tenere statuimus.*

Act. 12. *Rursum etiam in sexta Synodo generali sic statutum esse comperimus, dixit sancta Synodus omnino necesse est, non solum secundum sensum sequi sanctorum patrum dogmata, sed & eisdẽ vocibus uti cum illis, nihilq; penitus innouare.*

Can. 1. *In Concilio 1. Constantinopolitano, primum omnium illud decretum conditum est, custodiendam esse fidem 318. patrum, qui apud Niceam*

Bithyniæ

Bithynia conuenerunt, ad anathematizandam omnem hæresim, præsertim Eunomianorum, Arrianorum, Macedonianorum, Photinianorum, & Apollinianorum.

Sisinnius Nectario tale dedit consilium, vt disputatiuas fugeret intentiones, & testimonium ex traditione veterum adhiberet, vt præsules hæreseon interrogaret Imperator, an sermonem vellent facere de antiquis Ecclesiæ doctoribus, qui ante discessionem floruissent, an certò, illos, velut alienos à Christianismo respuerent. Lib. 9. Tr. Hist. cap. 19.

Oportet nos Ecclesiasticas traditiones, siue scripto, siue consuetudine in Ecclesia retentas vnanimiter, & inuiolabiliter obseruare. 2: Synodus Nicena.

In octaua Synodo generali, multa de traditionum obseruatione continentur, illud tamen ad calcem, tenere traditiones quas accepimus, siue per sermonem, siue per epistolam sanctorum, qui ante nos fuerunt, Paulus apertè nos monet. Can. 1.

CONVINCVNTVR TRADITIONES *testimonio summorum Pontificum.* Cap. IIII.

OPORTET *ab eo intelligentiam discere scripturarum, qui eam à maioribus secundum sibi traditam veritatem seruauit, & ipse possit, ea quæ rectè accepit competenter asserere.* Clemēs Papa epist. 4.

De

Idem. *De his ipsis traditionibus multos libros confecit Clemens, quos de ordinationibus, aut constitutionibus Ecclesiasticis inscribit, in quibus, quæ ab Apostolo Petro acceperat, alijs fideliter tradit seruanda.*

Anacletus in epist. *Iustum est omnes in vniuerso Romanorum orbe doctores legis, ea quæ legis sunt rectè capere, & operari, & non regulas nascentis Ecclesiæ confundere: aut fidem, aut doctrinam Apostolorum varijs maculare doctrinis, neque fratres infestare.*

Eusebius Papa in epist. *Prima salus est rectæ fidei regulas custodire, & ab institutis patrum, nullatenus deuiare.*

Gregorius, lib 2. epist. 49. & 3. lib. epist. 33. *Cum Greg. audiret quosdam temerè asserentes aliquo modo eleuatam fuisse auctoritatem Concilij Chalced. in eo Conc. quod sub Iustiniano Imperatore habitum est, anathemate percussit, quicunque ausus sit, immutare aliquid eius fidei, quæ in eo pronunciata est: aut corrigere sensum.*

Damasus in epis. ad Episcopum Carthag. *Violatores Canonum voluntarij, inquit Damasus, grauiter à sanctis patribus iudicantur, & ab Spiritusancto, cuius spiritu ac dono dictati sunt, damnantur. quoniam blasphemare in Spiritumsanctum non incongruè videntur, qui contra eiusdem sacros Canones, non necessitate compulsi, sed libenter, vt præmissum est, aliquid, aut proteruè agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt.*

Pas-

Paschalis etiam sic ait, malum est ab Ecclesiæ vnitate, & à sedis Apostolicæ obedientia resilire, & contra Canonum statuta prorumpere. In epist. ad Archiep. Panorm.

Leo præterea Magnus, dubitandum non est, quicquid in Ecclesia in consuetudinem est deuotionis retentum de traditione Apostolica, et de sancti spiritus prodire doctrina. Serm. 2. de ieiuniis Pētecostes.

Leo IIII. sicut habetur in cap. de libellis 20. dist. idem prorsus de traditionum obseruatione docet.

Hormisda scribens omnibus Episcopis per diuersas prouincias, & habetur in c. sicut. 50 dist.

Bonifacius Papa, & habetur in cap. nonnulli. 16. q. 1.

Leo Papa, & habetur in cap. requiritis. 1. q. 7.

Nicolaus Papa scribens Ignatio, & habetur, cap. ridiculum. 12. q. 7.

Pius II. quod constat ex bulla retractationum ab eodem edita.

CONVINCVNTVR TRADITIONES testimonio veterum sanctorum patrum. Cap. V.

IVSTE ac legitimè possit quisque cum hæreticis agere, ista ratione: vos quidè non modo existimatis, sed & asseritis, nulla esse Ecclesiastica-

rum

rum traditionum vim, nullum vsum: atque ideò quàm longissimè proiiciendas eas esse. nos contrà contendimus, plurimum illas prodesse, plurimi pretij, & momenti esse maximi: atque ob id esse retinendas. qui nam istam, obsecro, litem component, & contentionem, diriment? quoniam verò ex nouitijs scriptoribus, nullus deligi posse videtur, à cuius sententia, non alterutra pars contendentium, atq; pugnantium resiliat, prouocetq́, agite, designemus veteres scriptores, et eorum arbitrio, iudicioq́, quæstionem subijciamus, quos nemo iure queat dicere, aut pretio, aut precibus, esse solicitatos, atque corruptos. et quos nemo ignorat, ab odio, inimicitia, ira, & misericordia vacuos esse omnino: quales, historicus ille Romanus eos esse inquit oportere, qui de rebus dubijs, atque asperis consultant. testes deinde conferamus, & qui plures, vetustiores, saniores, sanctiores, sapientioresq́, citarit, atque in medium produxerit, vicisse causam existimemus. ego mihi curam suscipio nominandi sanctiss. Patres, qui plurimum auctoritatis traditionibus detulerunt, aduersarij in contrariam partem, si velint, testes citabunt, aut continuò se victos esse fateantur, necesse est.

Cap. 1 lib. de Ecclesiastica Hierarchia.

Dionysius Areopagita Pauli discipulus in primis ita inquit: eloquia diuina duplicis generis sunt: nimirum, quædam in sanctis ac Theologicis

logicis libris nobis commendata, alia praeterea quae ex animo in animum (medio intercurrente verbo, corporali quidem, sed quod carnis sensum poenitus excedat) sine literis transfusa sunt. subiungit, si quidem primi illi nostri sacerdotales duces, Apostolos intelligit, summa illa & supersubstantialia, partim scriptis, partim non scriptis institutionibus, nobis tradiderunt.

Ireneus: quid enim, & si de modica aliqua quaestione disceptatio esset, nonne oportebat in antiquissimas recurrere Ecclesias? in quibus Apostoli conuersati sunt: & ab eis de praesenti quaestione sumere quod certum, & re ipsa liquidissimum est? quid autem, si neque Apostoli scripturas reliquissent nobis? nonne oprtebat sequi ordinem traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi assentiunt multi gentis barbarorum, eorum qui in Christum credunt: sine charactere, vel atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus salutem, & veterum traditionem diligenter custodientes. Lib. 3. contra haereses.

Tertullianus de hac re aduersus haereses omnes, librum proprium scripsit, quem de perscriptionibus haereticorum appellat: atque ob eam rem nihil inde citare uolo, pari enim ratione integrum librum citare debui. De perscriptionibus haereticorũ.

Quod de Tertulliano dico, sentio etiam dicendum ac Vincẽtio Lyrinensi, qui librum fecit ad-

Aduersus Prophanas nouationes uersus prophanas nouationes, in quo totus in eo est, vt vim atque vsum traditionum in Ecclesia demonstret.

Idem præstat Athanasius in ea disputatione, quam aduersus Arrianum confecit.

Origenes Periarchon Idem Origenes in lib. Periarchon, his verbis, illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica traditione discordat.

Tom. 1. lib. 2. Epiphanius Episcopus Cypri, disserens aduersus eos, qui se Apostolicos vocauerunt, sic ait, oportet & traditione vti. rationem reddit, dicens, non enim omnia à diuina scriptura accipi possunt: quapropter aliqua sacris scripturis, aliqua traditione Apostoli sancti nobis cōmendauerunt, quemadmodum, inquit sanctus Apostolus, sicut tradidi vobis, & alibi, sic doceo, & sic tradidi in Ecclesiis. Imo verò ille idem sanctus vir plurimas hæreses traditionum momento euertit.

Lib. 1. de Spiritusancto, cap. 27. & 29. Beatus Basilius citans verba Pauli, ad Corinth. 11. & 2. Thess. 2. quæ nos retulimus primo cap. plurima disserit de traditionibus: quæ quoniam diuina sunt, vt fuit etiam vir ille diuinus, placet referre in compendium redacta.

Dogmata, inquit, quæ in Ecclesia seruantur, & prædicantur, partim habemus ex scripta doctrina, partim ex Apostolorum traditione, ad nos delata in mysterio. vtraq; tamen vim habent eandem ad pietatem: nemoq; eis contradicet,

cet, qui vel modicam ſaltem Eccleſiaſtici iuris experientiam habuerit. ſi enim aggrederemur ait, conſuetudines, nullis ſcriptis proditas, velut non magnam vim habentes, reijcere, imprudentes, etiam ipſis principalibus Euãgelij partibus, iniuriam inferremus: imo prorſus ipſam Euangelij prædicationem ad nudum nomen contraheremus. probat hoc exemplo plurimarum doctrinarum, & obſeruationum neceſſariarum in Eccleſia Chriſti, quæ ſola traditione, & Apoſtolica institutione, iam inde, ad nos vſque peruenerunt, cum earum in ſacris litteris, nihil vſpiam reperiatur expreſſum diſertis verbis: atq; inter plurima iſtius ſacræ rei exempla, indicat & ipſam ſacra fidei noſtræ principalem Confeſſionẽ, qua credimus in patrem, filium, et Spiritum ſanctum Apoſtolica potius traditione, quàm nuda & aperta ſcripturæ littera nos habere. aſſerit præterea Christianum, & ſua ſententia planè Apoſtolicum, constanter & integrè perſeuerare debere, in iſtiusmodi Catholica, tametſi non ſcripta, traditione, ab Apoſtolorum tempore, ſucceſſione, quaſi per manus, accepta: & vſu ſimul cum tempore progrediente, per longam conſuetudinẽ Eccleſiis tradita. cenſetq́, hanc potiſſimum rationem ſufficere ad confutandos hæreticos, qui eo tempore perſonam Spiritusſancti conabantur, ab vnitate ſanctiſſimæ Trinitatis blaſphemè proſcindere. atque ita aſſirmat, velle ſe huiusmodi

iusmodi traditiones, quasi paternam quandam hæreditatem conseruare, perseuerareq́; in doctrina accepta ab Episcopo suo, viro, qui longo tempore, in ministerio Dei vitam transegit, per quē baptizatus sit, & ad Ecclesiam admotus. neq; agendum cum eis arbitratur, qui huiusmodi vniuersalem traditionem à sanctis patribus vsurpatam, tàm longa consuetudine confirmatam, et in Ecclesiis vsitatam, respuunt, violantq́;.

In expositione, locorū ad Tim. xi. & 2. Thessal. 2. *Beatus Chrysostomus, hinc patet, inquit, explicans duos citatos locos, quòd non omnia per epistolam, sed quædam etiam sine litteris Apostoli tradiderunt, quod alibi sæpe meminit Apostolus. subiūgit, eadem verò fide digna sunt, tam ista, quàm illa. itaq; traditionem Ecclesiæ fide dignam putamus: traditio est, nihil quæras amplius.*

Cap. 1 & 5. epist. 118. a *In eandem sententiam luculenter & copiosè admodum, multis locis Aug. disserit. nobis, præter id, quod citauimus superius, illud sit satis quod ad Ianuarium scribit, aiens, quæ non scripta, sed tradita custodiuntur, quæ quidem toto terrarum orbe seruantur, datur statim intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, aut statuta retineri.*

Ambrosius. *In his, hoc est traditionibus, nulla est disciplina melior graui, & prudenti Christiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad*

quam-

quamcunq; forte deuenerit.

Beatus Cyrillus, nullo modo patimur à quibusdam cõcuti diffinitam fidem, siue fidei symbolum à sanctis patribus nostris, qui apud Niceam conuenerunt. neque permittitur, aut nobis, aut alijs mutare aliquod verbum ex his, quæ ibidem continentur, memores eius, qui dixit, ne transferas terminos æternos quos constituerunt patres tui. In epist. ad Ioan Antiochenum.

Eusebius, laudare oportet, & absque inuidia amplecti, si quid rectè scriptum, & traditum à maioribus est. Cap. 22 lib. 7 hist Eccl.

Idẽ, Gregorium Nazanzenum, & Basilium commendat, quòd tredecim annos solis sacris libris incubuerint, quorum intelligẽtiam ex maiorum scriptis, & auctoritate sint assequuti, quos Apostolica successione, intelligendi regulas suscepisse constaret. Hieronymus, traditiones Ecclesiasticæ obseruandæ sunt, vt à maioribus sunt traditæ: vnaquæq; prouincia sensu suo abundet, & præcepta maiorum leges Apostolicas arbitretur. Ca. 9 lib. 11 ad Lucinia.

Hylarius: grauis auctoritas est ueterum. De Synodis

Gregorius Nissenus, ad hoc datus est sermo Dei, tum scriptus, tum nõ scriptus, vt er, tãquam aculeo quodam armati, & instructi, vicissim inter nos, ad laborem orationes, & sementis bonorum operum, in spem vitæ æternæ faciendæ incitaremur. Cõment in Eccl.

Theodoretus, explanãs illa verba Pauli, nã

cæteris dico ego nō Dominus, si quis frater, &c.

Cōment. in primā epis. ad Corint.

non est hoc uerbum, inquit, ad humanam auctoritatem, sed potius ad diuinam referendum: hoc enim Dominus Iesus non per se prius tradidit, ut alia multa, sed per Paulum nunc tradit, & perscribit.

Policarpus ad Philip.

Subiecti estote Presbyteris, & Diaconis, sicut Deo, & Christo.

Isidorus ad Maronem Episcopum, à sanctis, inquit, patribus, non electione proprij arbitrij, sed potius ex sententia diuini iudicij Ecclesiæ Canones conditi sunt.

In Cētariis

Sanctus Maximus, omnis Theologia quæ scripta non est, verbo Dei continetur, ut quod ait Dionysius traditum esse, sumpsisse Deum totum hominem sine sui mutatione, aut confusione.

In Apologia Origenis.

Pamphylus Martyr, si quis se credere confiteatur, si tamen aliud de ueritate Christianæ fidei credat quàm habeat definitio traditionis Ecclesiasticæ hæreticus censeri debet.

Sermone de ablutione pedum.

Cyprianus, non minus ratum est, quod dictante Spiritusancto Apostoli tradiderunt, quàm quod ipse Christus tradidit.

Contra Luciferianos.

Hieronymus iterum, multa, quæ per traditionem in Ecclesiis obseruantur, auctoritatem scriptæ legis usurpant.

Lib. 3. hist. Eccl. cap. 35. & 39.

Papias apud Eusebium, sicubi quisquam uenit, qui seniorum assectator fuerit, seniorum verba interrogabam, ait, quid Andreas, quid Philippus

lippus, quid Thomas, quid Iacobus, vel alius quisquã ex discipulis domini, quidq́; Aristion, & senior Ioannes dixerint. cogitabam, me, non tantum utilitatis ex libris, quantum ex viua, & permanente voce delaturum.

Beatus etiam Ignatius, auctore eodem Eusebio, cũ raperetur Romam ad bestias, quà transibat, ciuitates adhortationibus corroborabat. imprimisq́; admonebat, ut hæreses recèns exortas maximopere cauerent: & Apostolorum traditionibus indiuulsè adhærerent. quas refert illum scriptas reliquisse. Ignatius. Cap. 35. lib. 3 hist. Eccl.

Ægesyppus, et Clemens Alexandrinus, eodem Eusebio auctore, perreptarunt vniuersum penè orbem, ut inuiserent Ecclesias, & quid eis relictum addiscerent, & docerent. de hac re, extant multi Canones in decretis cap. Ecclesiasticarum. cap. in his, cap. Catholica, dist. xi. Lib. 4. c. 24.

Diuus Thomas, voco inquit, diuinam legem, quæ in Canone sacræ scripturæ, et in decretis sanctorum patrum, & Concilijs continetur. Cap. 5. Opuscul. 73.

Plures patres citare possem, sed quoniã hæc est Ecclesiæ vox, superuacaneũ duco, eos memorare.

CONVINCVNTVR TRADITIONES testimonio Neotericorum patrum. Cap. VI.

POSSEMVS *quidem antiquitatis testimo-*

nio esse contenti, sed quoniam intelligo Neotericos, eo maximè nomine ab hæreticis traduci, quòd non per omnia rectè de traditionibus sentiant, atque scribant, consultò, horum nonnullos in præsentia lubet memorare, qui possint hæreticis hac parte facere satis. solum autem auctores indicabo, et libros subijciã, in quibus hanc ipsam de vi Ecclesiasticarum traditionum sententiam nobis explicatam reliquerũt. nam scrupulosè verba referre, immensi, ac penè infiniti laboris est.

Illud tamen initio dissimulare animus non est, nullum ex Catholicis Theologis reperiri, qui pluris faciendas esse traditiones affirmet, quàm sacram scripturam, sed, quòd eius tenebris depellendis & profligandis plurimum conferant.

Nullus Catholicorum ait, traditiones uim habere cõtra sacras litteras.

Nullus similiter ex nostris reperitur, qui traditiones ferat, contra ipsam scripturam sacram habere vim: quod etiam nobis aduersarij malitiose obijciunt: Principem siquidem locum, omnium consensu, sacræ litteræ sunt adeptæ. sed quoniam sunt quædam, quæ sola traditione constant, dicuntur à quibusdam traditiones præter scripturam sacram esse: & interdum etiam supra scripturam, quia quæ non intelligeremus fortasse si solas sacras litteras haberemus, cõsequimur præsidio traditionum: neque dum ita nouitij scriptores loquuntur ab antiquitate discrepant vllo modò: quin imo eandem prorsus fidem de hac re,

ean-

eandemq́, doctrinam amplectuntur: ut sciãt aduersarij, Ecclesiam, nostram esse, non suam. sed producamus iam in medium Næotericorum hominum sententiam, aut potius auctores ipsos, ac testes huius causæ proferamus, & indicemus loca, in quibus illi nobiscum sentiunt & ab hæreticis discrepant bis Diapason.

Probat in primis traditiones Ecclesiæ, quas oratione longa persequitur Ossius Cardinalis Varmiensis, vir innocẽtia vitæ atq; litteris insignis: de qua re librum integrum confecit, qui quartus eorum est, quos edidit aduersus Brentij prolegomena. rursum lib. edito de expresso verbo Dei, atque etiam in Catechismo Christiano.

Petrus Soto vir religiosus, & doctus in responsione ad confessionem Brentij oblatam duci Uuitembergensi.

Petrus Canisius ex societate Iesu, vir optimus, & litteris præstantissimus, qui tum scribendo, tum concionando, & publicè docendo, de Republica Germana, imo verò de Christiana, optime meritus est, in libro qui inscribitur summa doctrina Christianæ.

Ioannes Driodonius in illis libris, quos diligenter admodum de dogmatibus Ecclesiæ cõfecit.

Martinus Perezius Ayala Episcopus Segobiensis vir plurimæ lectionis in libris, quos eruditissimos, & doctrina varia refertissimos nobis dedit, de traditionibus diuinis & Ecclesiasticis.

Ioan-

Ioannes Maria Verratus, tum in libro de auctoritate Ecclesiæ, tum etiam in altero illo, quem appellat, de vniuersali Ecclesia.

Franciscus Turrianus antiquitatis plurimũ studiosus libro 1. de dogmaticis Characteribus.

Capitulum, & Canonici Ecclesiæ Coloniensis in eo libro, qui Antididagma inscribitur, aduersus librum exhibitum vniuersis ordinibus, atque statibus eiusdem diœceseos.

Ioannes Hoffmesther Augustinianus in locis communibus aduersus hæreticos.

Mutius Iustinopolitanus in lib. qui inscribitur, Bullingerus cõfutatus, vernacula lingua Italica.

Taper in Cathechismo.

Ioannes Hessels à Louanio, cap. 23. 24. 25. libri de inuocatione sanctorum.

Franciscus Vargas vir magni iudicij, & strenuæ diligentiæ in bonis libris euoluendis, Orator Catholici Regis Philippi ad Pium IIII. Pontificem Max. in responso quod dedit, de iurisdictione Episcoporum, 9. axiomate.

Ludouicus Canonicus Lateranensis in oratione Concilij Tridentini, de Papa, traditionum, consuetudinum, et veterum patrum auctoritate,

Lindanus Dodracenus in Panopliis.

Bartholomæus Latomus in responsione altera ad furiosas criminationes Petri Datheni.

Ioannes Ecchius in Enchiridio locorum cõmunium contra hæreses, cap. de humanis constitut.

Frater

Frater Ioan. à Dauentria in exegesi Euangelicæ ueritatis, et mendaciorum quæ sunt in Confessione Lutherana Cæsareæ maiestati in comitijs Augustanis exhibita, & in eiusdem Apologia.

PetrusZiletius vir optimus et doctissimus de hac re sex libros conscripsit, quos inscribit, de mobilibus Ecclesiæ præceptionibus.

Hippolytus Canonicus Lateranensis, vbi vulgari lingua Vergerij hæretici scriptis respondet.

Enchiridion Christianæ institutionis æditum in Conc. Coloniensi, cap. de constitutionibus Ecclesiasticis: item in explicatione symboli.

Concilium Senonense.

Thomas Elysius in lib. qui ab eo inscribitur, piorum clypeus.

Felicianus Ninguarda in assertione fidei Catholicæ aduersus articulos vtriusque Confessionis fidei Annæ Burgensis.

Conradus Klingius in locis communibus Theologicis.

Alphonsus Castro, in lib. de hæresibus.

Innumeri ẽt alij, quos uel recẽsere lõgum esset.

CONVINCVNTVR TRADITIONES testimonio hæreticorum. Cap. VII.

ILLVD *non leuem, aduersus Protestantes, orationi nostræ fidem Conciliare possit, quòd non pauci ex aduersarijs traditiones hoc tempore*

re probarint. magna etenim veritatis vis est, cui hostes etiam iurati interdum repugnare non possunt. referã ergo quorundam eorũ sententias.

Cap. 14. ep. ad Rom. *Melancthon, non probo inquit, petulantiam eorum, qui sine probabili causa vbiq; violant (ritus scilicet, & traditiones) seu studio nouitatis, seu quadam contumacia. in his enim non solùm pietas, sed etiam humanitas iure desiderari possit. quid est, ait, inhumanius quàm aspernari publicos mores, præsertim si uideantur disciplinæ causa instituti?*

Iterum ibidem.

Sæpe iam uidemus eos, qui cum ueteribus ritibus belligerantur, tamen naturà uinci, ut aut ueteres mores restituant, aut nouas ordinationes faciant, quarum nonnullæ satis agrestes, ac Barbaricæ sunt.

Epist. 61. ad Erasmũ Ritterium. *Oecolampadius, optarim quidem si Ecclesiis omnibus integrum foret, cæremonijs eisdem cunctos uti.*

Non est piarum mentium maiorum placitis temerè reluctari, ait hæreticus Capito.

Iterum, nouare, & conuellere benè institutas res valde execrandum.

Iterum, post ueram fidei doctrinam, quæ honesta sunt, & quæ sine contumelia Dei publicè comprobantur, studio amplectimur.

In cap. 15. Matth. *Bucerus, nihil est damnandum, quod ulla ratione bonum esse queat. iterum, quicquid homo statue-*

ſtatuerit, quod, quomodocunque ad uſum proximorum faciat: eóq; ex præcepto dilectionis deriuatum ſit, ut ſunt leges ciuiles, ſtatuta œconomica, cæremoniolæ, ac ritus, quibus ad uerbũ Dei commodius docendum, & audiendum, tum prædicandum, denique ad cœnam, atque baptiſmum Chriſtiani utuntur: ac quicquid omnino ad uitam iſtam commodius degendam, momentum aliquod habuerit, id nequaquam traditio humana, ſed diuina, licet per homines adminiſtrata, æſtimanda eſt. Brentius, non loquimur, inquit, nunc, (damnauerat autem aliquot traditiones) de ea traditione, quam nobis ſacra ſcriptura, et quæ in ea continentur, à maioribus per manus tradita ſunt: hæc enim inquit, certa eſt, neceſſaria eſt, atque omnibus modis amplectenda. Differens contra Petrum Soto.

Monhemus in eadem ſententia eſt, ueterem de baptiſmo paruulorũ conſuetudinem, probans. Fol.94.

Auctores Auguſtanæ Confeſſionis artic. 15.

Hac de re in hoc conuentu ſæpe teſtificati ſumus, nos ſumma uoluntate cupere conſeruare politiam Eccleſiaſticam, & gradus in Eccleſia factos, etiam humana auctoritate. ſcimus enim bono, & utili conſilio à patribus Eccleſiaſticam diſciplinam, hoc modo, ut ueteres Canones deſcribunt, conſtitutam eſſe.

Iterum eodem articulo.

De ritibus Eccleſiaſticis docent, quòd ritus illi ſeruandi ſint, qui ſine peccato ſeruari poſſunt:

&

& prosunt ad trāquillitatem, et bonum ordinem in Ecclesia, sicut certæ feriæ festa, & similia.

Articulo etiam 16. de Protestantibus differentes, sic aiunt.

Non dissipant politiam, & œconomiam, sed maximè postulant obseruari tanquam ordinationes Dei, & in talibus ordinationibus exercere charitatem. addit itaque, necessariò debent Christiani obedire magistratibus suis & legibus, nisi cum iubent peccare.

Ordinationes, inquiunt, esse Dei leges quæ ab Episcopis feruntur, & in eis Christianos debere se exercere necessariò, nisi in Deum peccare uelint, cuius ordinationi resistunt, & in proximū, qui uice Dei Ecclesiam gubernat.

Cap. ult. eius lib. quē doctrinā appellat ueterem & nouam.

Urbanus Regius, interim cæremonias Ecclesiæ, & traditiones patrum ubi nihil studio pietatis obstant, aut uitij habent, propter charitatem, et pacem seruandas suadeo: tantum ne religionis uim omnem, uel in despiciendis, uel seruandis tantum cæremonijs positam putemus. Ex his, quæ retulimus, uel mediocriter eruditus, modo benè ac liberaliter educatus, atque institutus sit, planè possit agnoscere, quanti traditiones Ecclesiæ facere debeat, & quàm rursum periculosum sit, uel eas contemnere, uel ab eis recedere quoquo modo.

Sed has ipsas traditiones, de quibus hactenus sumus loquuti, & quarum ad æternam uitam

con-

consequendam maximum esse momentum palam ostendimus, ob eam, arbitror, causam hæretici contemnunt, & pedibus conculcant, ut interim alias rationes prætermittam, ne, superbia inflati, & inani quadam gloria tumidi, ulli Episcoporum. imprimis uerò Romano Pontifici parere, aut obsequi cogantur, qui à Christo edocti, & magisterio cœlestis spiritus eruditi, multa orthodoxis hominibus seruanda tradiderunt. Principes etenim haberi hæretici in terris uolunt. neque aliunde hæreses ortæ sunt, schismata nata, referente beato Cypriano lib. 1. epist. quàm, quòd sacerdoti Dei non obtemperatur: neque unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tēpus iudex, uice Christi cogitatur. cui, si secundum magisteria diuina obtemperaret fraternitas uniuersa, nemo aduersus collegium quidpiam moueret: nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post Episcoporum consensum, iudicem se, non Episcopi, sed Dei faceret: nemo dissidio unitatis, Christi Ecclesiam scinderet: nemo sibi placens ac tumens, seorsum foris nouam hæresim conderet. quòd si Ecclesiæ legibus, & institutis maiorum nouatores acquiescerent, haud dubiè, pacem illam in Ecclesia cerneremus, quam nobis tantopere Christus cōmendat, tanquàm necessariam illam quidem ad æternam uitam comparandam: quæ, illa re maximè constat, si Prælatis Ecclesiæ obtemperemus. qui uos audit, me

audit,

audit, et qui vos spernit, me spernit, Christus per Lucam ait, & per Paul. ad Rom. qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, et damnationem sibi acquirit: nulla verò ratione magis quispiam potestati possit resistere, quàm si non modo legem ab ea latam violare conetur, sed perinde ac si infrugifera, & superuacanea sit, contemnendã, alios esse doceat, quòd hæretici faciunt, dũ traditionũ curã habendam esse negant, obediẽdum est

Ad Rom. cap. 13.

.n. maioribus ait Paulus, nõ solum propter timorem, pœnæ, inquam decretæ his qui legẽ transgrediuntur, qua improbi solent à peccando deterreri, sed etiam propter conscientiam, ne uidelicet illam maculemus. quare si metu liberi esse uultis, ò aduersarij, & conscientiam uestram flagitijs uacuam habere, redite unde digressi estis, Pontificem Romanum, uniuersalis Ecclesiæ pastorem, atque doctorem agnoscite, eius leges & maiorum instituta, uetustasq́; Ecclesiæ traditiones eo loco dignas putate, quo sacræ litteræ, Concilia & patres, dignas arbitrantur. quarum obseruatio haud dubiè plurimum momenti adferrè possit ad benè atque beatè uiuendum. alioqui uerò dubium non est, quin æternos cruciatus atque supplicia sitis subituri.

Hæc, quæ dixi, omnia, meq́; ipsum sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ iudicio submitto, quam Deus Optimus Max. ab aduersarijs suis liberam, atque exemptam reddat. Amen.

FINIS.


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm